# QU[illegible]

DE

# DIALECTICA PLOTINI RAT[illegible]

## FASCICULUS PRIMUS

QUO SPECIMINE HISTORIAE PHILOSOPHIAE ALEXANDRINAE A SE CONSCRIBENDAE

MEMORIAM ANNIVERSARIAM

INAUGURATAE ANTE HOS CCLXXXVI ANNOS

SCHOLAE PROVINCIALIS PORTENSIS

CAL. NOVEMBR. MDCCCXXIX.

PIE CELEBRANDAM INDICIT

ET

AD RECITATIONES ET ORATIONES DISCIPULORUM

EX OMNIBUS CLASSIBUS ELECTORUM

AUDIENDAS

INVITAT

*D. CAROLUS HENRICUS AUGUSTUS STEINHART,*

*ADJUNCTUS REGIUS.*

---

NUMBURGI

TYPIS C. A. KLAFFENBACHII.

## Caput primum.

*Quae temporum rationes dialecticam Plotini artem excitaverint.*

Triplex est artis dialecticae opus, primum, ut vulgares de rebus cognoscendis opiniones confundat, earumque ostendat et imbecillitatem et inconstantiam [1]), alterum, ut puras sistat rerum notiones et ab errorum mole liberatas certo limite circumscribat, tertium, ut ipsas notiones, orationis ac formularum terminis inclusas, revellat quasi fixa sede earumque exponat mutationes vicissitudinesque et mutuum, quo omnes continentur, nexum [2]); quo opere peracto philosophus totum veritatis campum emensus summas cernet rerum rationes, et ad unum ascendet universae scientiae principium et fontem, qui est ultimus philosophiae finis [3]).

---

[1]) *Eristicum* hoc et *refutatorium* dialecticae genus proprium erat Sophistarum munus, Plat. Sophist. 225. 230. sed, cum hi ab excitato ignorantiae pudore juvenes non perducerent ad ipsam rerum veritatem indagandam, dialecticus nomine dignus relictis illis artis suae rudimentis atque initiis per omne certaminum et refutationum genus ad summam veri boni scientiam penetrare dicitur de rep. 534.

[2]) Plato in Phaedro 265. 266. dispersa cogitationis membra notionis vinculis dicit adstringi dialecticae ope et in unam ideam conjunctam jam in species resolvi; luculentius in Soph. 253. dialecticum nominat eum, qui distinctarum discretarumque notionum multitudinem et unam simul ideam, qua omnes conjungantur, possit cognoscere.

[3]) Dialecticum opus Plato l. l. Sophist. p. 253. nemini vult attribui, qui non puram justamque elegerit philosophandi rationem, et verum philosophum divinae veritati ostendit adhaerentem ejusque aeterna luce circumfusum, cum sophista in tenebras vanitatis atque opinionum delabatur; cf. de rep. 534, ubi dialecticam apicem vocat omnis doctrinae, quam qui vere assecutus sit, eum jam ad finem disciplinarum pervenisse dicit.

Quare cum certior illa summarum rerum contemplatio, quam philosophicam dicimus, artis dialecticae expers non possit esse, non ipsa haec philosophia censenda est, sed exploratorio et praeparatorio munere fungitur [4]), et primas quasi ducit lineas operis, quod, nisi omnis rerum universitas comprehensa sit et suo quidque loco apte dispositum, non existimandum est consummari posse atque absolvi. Neque ita multum a vero abesse videbitur, si quis veram dialecticae rationem ponere velit in motu et progressu cogitationis, quae ubi in nova quadam notione tamquam proxima meta, ad quam erat enitendum, acquievit, jam aliam excitat contemplationis seriem, et ipsam simili modo perlustrandam. Ut autem artis dialecticae nomen non praecessit prima mentis philosophicae inter Graecos certamina, sed primo demum philosophiae stadio peracto vulgari coepit [5]), sic ipsa ars [6]) efflorescere non po-

---

[4]) Aristot. metaphys. III, 2. ἔστι δὲ ἡ διαλεκτικὴ πειραστικὴ, περὶ ὧν ἡ φιλοσοφία γνωριστική.

[5]) Quod Diog. Laert. III, 24. tradit, ipsum dialecticae nomen a Platone fuisse inventum, egregie comprobatur verbis Platonicis in Phaedro p. 266, ubi ex orationis flumine subito emergere videtur philosopho dialectici nomen.

[6]) Aristoteles neque Pythagoreos (I, 5. οἱ πρότεροι διαλεκτικῆς οὐ μετεῖχον, ubi cum Platone comparat illos) neque physicos dialectica arte usos fuisse dicit, quod ipsi Heraclito in sagacissima illius refutatione in tertio metaphysicorum libro plus semel vitio vertit; idem in libro, cui inscriptum erat Sophista, Zenonem Eleaticum primum artis auctorem nominasse traditur a Diog. Laert. VIII, 57. a quo non discrepat Sextus Empir. adv. log. I, 7. quae testimonia ipsa philosophiae historia confirmantur; nam ut de prioribus physicis taceam, qui ad principia rerum cognoscenda aggressi erant nullam artis normam ac regulam secuti, Empedoclem rhetoricae quidem inventorem ab Aristotele dici adjicit Diogenes, quod miraremur sane, nisi Sextus l. l. ipsa Stagiritae verba repetiisset: *Empedoclem movisse rhetoricam*, (ludere videtur in *movendi* vocabulo, cum Empedocles primus externis rerum elementis internum motus principium addiderit et contrarias induxerit vires, metaphys. I, 3. quod aliter intellexit Quintil. institutt. III, 1.) sed dialecticam rationem non admisit poetica ejus oratio; dignior erat Heraclitus, si per eandem poeticam formam licuisset, qui dialecticus nuncuparetur, quippe qui primus a falsa sensuum specie sevocaverit animum ad perpetuum vitalemque omnium rerum motum considerandum; Pythagorei cum ad numerorum leges omnia revocassent, mathematica quidem ratione rerum notionumque simplicissimarum naturam explorabant, quam methodum philosophica multo inferiorem neque ἀνυπόθετον esse monet Aristot. metaphys. III, 3. non dissentiente Platone in rep. 510, sed (quod dictum velim nonnisi de genuina atque antiqua Pythagoreorum disciplina) non supra artis logicae initia ascendebant, neque a primis notionum lineamentis in serie decadica propositis (Arist. metaphys. I, 5.) penetrabant ad explicandam notionum ubertatem et varietatem; verum cum Xenophanes et multo magis Parmenides omnem rerum multitudinem in unam stabilem immotamque substantiam audacissime conglomerassent, et ipsum *non-ens*, quae est summa negandi ratio, ex mundo delevissent, Zeno primus soluta oratione usus in continuis sermonibus (qui dicuntur λόγοι) *non esse multa* conabatur evincere, et ita, quod merito displicet Socrati Platonico, (in Parmenide, p. 128.) disputationum et negationum artificio firmare magistri sententiam. Sic Eleatarum labore, (summo enim jure a Sexto adv. log. I. 6. Parmenides dialecticae censetur non expers fuisse) solidiora quidem artis disputatoriae fundamenta jacta erant; quam autem sermonum formam elegerant Zeno ejusque asseclae, Gorgias praecipue Leontinus, ea aptissima quidem erat refellendis vulgi erroribus, sed minoris ad inveniendum verum utilitatis, quamobrem Plato in Gorgia rhetoricam artem, quae tali disputandi genere nitebatur, similiter ut in Sophista sophisticam, rejicit, ut utrique vera dialectica opponatur.

tuit neque agnosci, priusquam pleraeque Graeciae civitates ad plenam institutorum suorum et publicorum et sacrorum conscientiam exsurrexerant, et remotis priorum temporum impedimentis ad aliam liberoque ingenio dignam rerum publicarum atque artium formam ausi erant evolare [7]). Quamobrem, quod ab Eleaticis inchoatum erat opus dialecticum, absolutum est Athenis, ubi, cum diversissimarum Graeciae gentium indoles in unam quasi pulcherrimam imaginem coaluisset, et Sophistarum studiis omnium scholarum reliquiae essent comportatae, jam colligi coepit indigesta dogmatum placitorumque moles, et prima philosophiae universaeque scientiae ratio in litem et dubitationem vocari. Quae lites, uti publica vita concussa et perversa populi animos ab observando deorum cultu et ab antiqua lege colenda seducebant in rixas et disputationes, sic in scholis philosophorum labefactabant, quae firmissima habita erant cognitionis fundamenta; sed inscientiae sensu excitato stimulos simul admovebant acriores ad summas veri rationes indagandas, et ita facti sunt Sophistae auctores lustrandae ab omni parte et vitae et doctrinae. Jam patefacta ab illis via incessit Socrates, qui revocatis ad mentis contemplationem studiis [8]) et ethicis notionibus ex intimis quasi ingenii adytis repetitis ad ala-

---

[7]) Docebit acrior vitae Graecorum investigatio, mentem philosophicam e somno non prius coepisse excitari, quam, exstincta fere pristina diversorum generum memoria et abolito traditionum mythorumque imperio, civitates publicam legem uti vitae moderatricem essent amplexae; quare historia philosophiae non erit a vivo universae historiae corpore avellenda, sed efflorescet demum ex vita publica variaque gentium indole diligentissime considerata; sic, quamvis nobis disjecta membra rerum in magna Graecia gestarum temporum invidia reliquerit, ubique in ea simile cernimus circa sexagesimam olympiadem studium, excussis (qui est coloniarum mos) traditionum vinculis novas quaerendi legum rationes, unde sensim enatus deorum veterum et religionum contemtus Eleatarum dialectica accrevit et Athenas est translatus; hic vero immutata jam erat prisca de summis rebus persuasio et in sublimiorem mentis regionem traducta poesi dramatica, et simul physicae Anaxagorae atque Archelai doctrinae vulgares movebant opiniones. Pythagorei quomodo ad novas insolitasque formas deflectere voluerint naturalem vitae Graecae legem, res est notissima, etsi in singulis accuratiori opus sit exploratione.

[8]) Mentem enim, quam summam esse omnium rerum vim statuerat Anaxagoras, ab ipso minus fuisse perlustratam, neque expositum, quomodo in toto mundo appareat, uno ore queruntur Plato (in Phaedone p. 97.) et Aristoteles, (metaph. I, 4.) ita ut fruges agri, quem primus coluit, demetendas aliis reliquisse censendus sit. Sed quamvis non omnia ipse invenerit, quae illo ex principio emanare debebant, non est, cur miremur, eum, cum mentem detexisset veram motus rationem, et ita aeternum istum Heracliti fluxum ac refluxum animasset, amentes, ut ita dicam, multitudinis opiniones impugnasse et ita ad dialecticam aliquam philosophandi rationem devenisse; quapropter a Cicerone (acad. post. I, 12.) in iis recensetur philosophis, qui ignorationem suam confessi sint, et nihil cognosci posse dixerint. Cf. de dialectica Anaxagorea *Ritter Geschichte der ionischen Philosophie*, p. 297 — 99. Quod Sextus Empiricus adv. log. I, 140. tradit, Diotimum Stoicum tria secundum Anaxagoram veri criteria docuisse, id omnino non potest in hunc ita cadere, ut *criterii* vocabulo usus sit, sed dialectice cum de cognoscendo vero incepisse quaerere non solum ex talibus ejus dictis conjicimus, ubi *cognoscendi* initium a mente repetit, et ab anima mentem diversam statuit, cf. Arist. de anima I, 2. metaphys. XII, 10. (h. l. *bonum* ipsum mentem dicit, et innuit jam notionem summi rerum finis, quam persecutus est post eum Aristoteles) sed ex ipsa illa sententia, quam primariam ejus habemus, nihil esse aut minimum aut maximum, sed maximo semper esse majus aliquid, minimo minus in rerum natura, et in omnibus omnia, ideoque infinitam multitudinem immixta et simplici mente omnia aequabiliter penetrante esse continendam; cf. Simplic. in Arist. phys. p.

criora certamina plenioremque palaestram provocavit juvenes, et inventa in docendo arte vere dialectica a vanitate disputationum ad sublimiorem veritatem expetendam atque amplectendam impulit. Qua ratione, cum schola praeceptoris in varias discessisset partes, et Megarici [9]) ad relictam Eleatarum methodum fere relapsi essent, unus Plato [10]) ita perrexit, ut ad insitam notionibus, quas traditas acceperat, vitam eliciendam et ab omni parte exponendam uteretur dialectica arte, quam nemo illo felicius tractavit; intellexerat enim, in omnibus rebus, quae aut mente aut sensu capiantur, unam apparere constantem aeternamque rationem, quam

---

33. b. et p. 35. a. et in collectione *Schaubachiana* Fragm. 5 — 8., ubi dialecticum acumen philosopho nullo modo videtur deesse.

9) Megaricos Eleaticum disputandi genus admovisse ad stabiliendam Socraticam de summo aeternoque bono notionem et ad expellendam sensuum atque experientiae vanitatem, egregie ostendit Ritter in *museo Rhenano* anni 1828, p. 295 — 335.; cum alia multa illorum laboribus ars dialectica profecerit, tum duae ab iis propositae sunt sententiae, quae si recte intelligantur, summam artis logicae rationem mihi videntur continere; una Euclidis, (Diog. Laert. II, 107.) non ex praemissis syllogismi membris, sed ex conclusione refellendam esse demonstrationem; senserat enim fortasse, in formali isto, quod vulgo traditur, syllogismi genere infinita quadam praemissarum propositionum demonstratione opus esse, cum ipsae semper ex alia ortae sint conclusione, et saepe fieri, ut non ex illis conclusio, sed ex hac illae demonstrandae sint; cf. *Hegel Wissenschaft der Logik*, vol. II, p. 142. 169. altera Stilponis, alia esse, quorum alia sint nomina; (Simplic. in Arist. phys. fol. 26. a.) in qua, adhibito simul alio de sublatis ideis dicto (Diog. II, 119.) latere videtur persuasio, non esse universales rerum notiones extra ipsas res ponendas ab iisque sejungendas. Quare illi prae omnibus dialectici vocati sunt, quamquam fuere, qui a dialectico ad eristicum genus deverterent; laborabat enim tota haec philosophia morbo Eleatico, quod, sublata omni rerum diversitate, non intellexit, unitatem esse non posse, nisi in multitudinem rerum et varietatem evolvatur; amplectenda igitur omnino erit Schleiermacheri sententia, Platonem adducentem homines, qui nullam contrariarum notionum statuant communionem et immotas manere velint rerum ideas, de Megaricis loqui, (in Soph. p. 251. seq.) quos similiter in Philebo (p. 16.) dicit uni continuo infinita, omissis mediis, adjungere.

10) Non hujus est loci, exponere, quomodo Plato a simplicissimis cogitandi formis continuo et non interrupto itinere progressus sit ad omnes veritatis divitias explicandas atque illustrandas; quem progressum ad perfectiores semper plenioresque notiones cernimus et in tota dialogorum serie, absoluta in libris de republica, uti in summo immensi aedificii fastigio, et in singulis permultis dialogis, quorum unum praestantissimum nominasse sufficiet Philebum; primum enim ibi statuit oppositas *infiniti* et *finis* notiones, ut illi voluptatem, huic cognitionem adsignet; sed cum utraque notio altera tamquam supplemento suo indigeat, neque unum sine altero possit esse, haec ipsa oppositio conciliatur tertio membro, *mixto seu communi genere*, in quo vera et recta simul nobis ostenditur voluptas. Jam in mixtum illud genus separatae infiniti finisque notiones ita coaluerunt, ut illud verum habendum sit, hae elementorum quasi notionis locum teneant; sed, cum infinitum fiat semper, finis contra sit aeternus atque immotus, nondum in mixto omnis deleta est repugnantia, tollenda demum in ipso *bono*, summa omnium, quae aut fiant aut vere sint, ratione, quae omnem in se continet et ex se procreat rerum diversitatem. Et ita, cum bonum sit universitas quaedam rerum intelligibilium, res et divinae et humanae triplici modo definiuntur, ut illarum quasi sit complexus et trias *modus*, *pulchrum*, *mens*, et *modo* omnia colligentur, humanarum autem rerum natura aeternarum imaginem praebeat, et *scientia*, *voluptate*, *infinito* absolvatur. Eandem notionum seriem alio modo in Timaeo ita componit, ut rerum, quae sensibus objiciuntur, constituat triplicitatem, (sit venia verbo) *materiam*, *ortum*, *ens*, (p. 52.) quae summa aeternae mentis idea continetur et firmatur. (p. 48.) Platonicis studiis alacrius tractandis quantam facem praetulerit Schleiermacherus admirabili prolegomenorum suorum artificio, gratissimo animo agnoscent, quicunque philosophiae amore incensi sunt.

si quis velit cognoscere, simplices ejus formas per omnem rerum naturam mira aequabilitate cernet recurrentes, sed ita, ut a simplicissimis initiis profecta contemplatio notiones ad majorem semper ambitum et vim adscendentes et graviori argumento repletas cognoscat.

Et sic opus dialecticum egit quidem perfectissime, sed non ita absolvit, ut in partae quasi victoriae laude et memoria acquiescendum fuisset successoribus; servanda potius erant et augenda reportata ex illa bona. Jam, quamquam non ita possumus unum dialecticae opus ab alio separare, ut non, quicunque artem illam vere colat, cuncta ei simul obeunda sint, acriter tamen attendentes ad Platonicam rationem, in primo eum dialecticae munere peragendo per maximam vitae partem inveniemus elaborasse, et perpetua sua errorum omnium temereque propositorum dijudicatione fontes et campum cognitionis universae ostendisse, unde in ultimis dialogis pervadere coepit ad ipsam veritatem explicandam[11]). Aristoteles vero alterum officium praestantissime peregit, ut totum describeret notionum ambitum et definiret, et, cum Plato luculentissime exposuisset, ubique veritatem conspici, et ad sublimiorem legem revocandas esse res manifestas et conspicuas, ipse quae sit in singulis rebus veritas ostendit. Uti autem summum bonum finem esse omnium intellexerat, rerumque naturam et ipsam vitam atque animam insito iis consilio regi ac moveri, cujus vera ratio sit ipsa mens[12]), ita ad mentem omnia revocare studuit stabiliendis et discernendis no-

---

[11]) Quod mutata quoque dialogorum oratione ostendit; videtur enim dialecticae formae jugum invitus ferre in Philebo et in libris de republica, donec uno fere sermonis flumine Timaeum facit physicam disciplinam enarrantem.

[12]) Quale sibi opus proposuerit Aristoteles, jam in ipsa metaphysicorum librorum fronte indicat, ut causam simul et finem rerum omnium cognoscat, (*τὸ διότι καὶ τὴν αἰτίαν γνωρίζειν,* met. I, 1.) et ad hanc rationem physica omnia et psychologica phaenomena semper dirigit. Quam summi boni notionem animis informatam excitaverat primus Socrates, Plato per omnes cognitionis gradus persecutus opinionum perversitate purgaverat, eam jam inventam Aristoteles ab omni parte excoluit, et universam ei superstruxit ethicam et physicam disciplinam; quare utraque in mente et in ipso Deo absolvitur, (egregia sunt et profecto divina ejus dicta de vera hominis dignitate atque immortalitate, dummodo relictis humanis mortalibusque rebus ad Deum audeat evolare, et secundum puram mentem vivens supra se ipsum quasi ascendere, eth. Nicom. X. 7 — 9. et Eudem. VII, 15. ubi aurea legimus verba: *οὐκ ἐπιτακτικῶς ἄρχων ὁ θεὸς ἀλλ' οὗ ἕνεκα ἡ φρόνησις;* similiter in natura Deum invenit aeternum et immotum motus principium, phys. VIII, 5. seq.) et pura sistitur *vitae* notio, ut sit *ἐντελέχεια,* i. e. vis, quae in se ipsa finem sui habeat, qua inventa enasci demum poterat constans sibi et vere philosophica naturae contemplatio. (cf. de anima I, 1. phys. II, 8. III, 1., qui loci sunt classici, nam omnes physici ejus libri ad hunc tendunt finem) Et uti jam Plato in Philebo rerum, quas comprehendit cogitatio, triplicitatem quandam invenerat, quae summo bono tamquam quarto communique membro conciliaretur, ita Aristoteles eadem fere cogitationis aeterna fundamenta tota in philosophia agnoscit, sed alias in aliis disciplinis inducit eorum formas; sic in logica et formali rerum definitione, in anal. post. II, 11. quatuor inveniuntur causarum genera: *τὸ τί ἦν εἶναι,* (essentia, quatenus cognitionem admittit et definitionem; cf. metaphys. VI, 6) *τὸ τίνων ὄντων ἀνάγκη τοῦτο εἶναι, τί πρῶτον ἐκίνησε,* et *τὸ τίνος ἕνεκα,* quod summum est ipsum bonum; eadem in rebus, quae sensu percipiuntur, apparet principiorum *τετρακτύς.*

tionibus ambiguo a multis sensu prolatis, et sane cogitationem sui fecit esse juris in veramque eam vindicavit libertatem; quapropter exploratis demum et dispositis in propaedeuticis libris notionibus et inventis physicis rerum causis ac rationibus, in metaphysicis finem doctrinae suae imposuit, dijudicandis et ad veram philosophiae normam examinandis primariis simplicissimisque notionibus, quas ipse jam antea vita quasi et materia repleverat. Tantum igitur abest, ut, quae erat multorum nostra aetate opinio [13]), solam experientiam ducem instituerit sequi, ut ipse monstraverit viam ad explorandam simplicem nudamque veritatem, quae cognosci non potest, nisi supra omnem experientiae inconstantiam evehamur ad puras rerum notiones indagandas et componendas. Sic ei non, ut Platoni, summum in philosophia locum tenere videtur dialectica, sed, quamvis hoc opus necessarium esse ducat et vero explorando ac tentando, et fugandis opinionibus, et sophistarum atque eristicorum paralogismis refellendis, ipsam certe philosophiam multo illa majorem esse ac digniorem censet. Attamen, diligentius si considerare velimus utriusque philosophi de dialecticae vi et dignitate sententias, non ita inveniemus repugnantes, ut conciliari nequeant; ipse enim Plato philosophiam culmen esse vult artis dialecticae [14]), et perfectum demum dialecticum agnoscit phi-

---

quod exponitur phys. II, 3. seqq., *materia*, *forma*, (εἶδος) *primum movens*, *propter quod;* (i. e. finis et bonum) surgit inde contemplatio ad motum ejusque causas, et discernit res motas semper, sed numquam moventes, (quae jam materiae locum tenent) res sese ipsas moventes, (vitam, quae corpori est adjuncta) motus denique immota principia, (primum moventia, i. e. ipsam mentem, qua regitur anima) quae originem suam trahunt ex uno motus fonte, movente omnia, sed numquam moto; phys. VIII, 5. 6. sic in psychologia sua tria ponit cogitationis et voluntatis principia, *quod movetur*, *instrumentum motionis*, *movens*, quod duplex esse dicit, aut movens simul ac motum, i. e. vitalem animae vim, aut immotum, i. e. summum bonum, in quo appetendo omnes animae motus viresque conspirent; (de anima III, 9. 10.) in theologica denique metaphysicorum parte omnem rerum universitatem in tres dirimit *substantias*, duas sensibiles, et unam quidem fluxam ac caducam, rerum terrestrium genera continentem, alteram sempiternam, qua regantur coelestium corporum motus, tertiam autem immotam, quam aut eodem semper modo facit agentem, aut, quae est humanae mentis ratio, aliter atque aliter agentem, ut ortus atque interitus enascantur; (Metaphys. XI, 1 — 7.) et ita in Deo, quasi meta ac centro, totum philosophiae opus acquiescit. Qua arte ab imbecillis initiis ad majores usque et sublimiores ascendat notiones Aristoteles, jucundissimum sane opus est investigare.

[13]) *Tennemannus* (*Gesch. der phil.* III, p. 46, seqq.) ut rem certissimam proponit, experientiam omnis cognitionis fontem tradi a Stagirita, quod praecipue ex libris ejus analyticis studet evincere; sed melius eum docere debebant hi ipsi libri; disserens enim philosophus de fontibus cognoscendi in anal. post. II, 18. luculentissime mentem dicit principium scientiae, et diversos discernit cognitionis gradus, *sensum*, quo percipiantur quidem singula, sed ipsa hac perceptione mentem statim avocari *inductione* ad genera rerum sensu non percipienda, deinde *ratiocinationem*, (δόξα et λογισμός, quae cogitandi ratio recentioribus vocatur *reflexio*) quae non semper vera sit, sed errorem admittat, *scientiam* denique, erroris expertem, cujus principium habendum sit *mens*, cum non ipsa esse possit principium sui. Neque omnia in demonstrationem et syllogismum cadere, sed extra has angustas finitarum rerum formas posita esse principia scientiae ἄμεσα, docet anal. post. I, 3.

[14]) Testimonia sunt dicta supra allata in Soph. p. 253, et in republ. p. 534.

losophum; nam, si quis divino correptus ardore adscendere velit ad excelsam illam philosophiae arcem, unde rerum mortalium fragilitatem prospectare liceat aeternae menti, ei ardua atque aspera dialecticae via per omnes errorum anfractus monet esse enitendum. Neque aliter Aristoteles verum dialecticae negotium ita definit, ut per omnem cognitionis campum libere incedens ex opinionibus aut a vulgo aut a sapientibus prolatis latentem sub errore veritatem eliciat et in lucem protrahat. [15]).

Jam vero in publica Graecorum vita firmissimis legum religionumque vinculis solutis ipsa civitatum libertas evanuerat, et relicto antiquo et a majoribus tradito agendi sentiendique more puriori opus erat rerum divinarum humanarumque cognitione, quae in vulgus propagata novum omnibus inspiraret recuperandae libertatis ardorem et aliam publicae societatis restituendae legem praescriberet; sed non ex philosophia nova illa salus potuit enasci;

---

[15]) Dialecticam Aristoteles docet ab iis, quae *in opinione* (ἔνδοξα) sint, proficisci, et circa *communia* (τὰ κοινά) versari; cf. de reprehens. soph. I, 10. 11. metaphys. II, 1. top. I, 2. Quae sint τὰ ἔνδοξα, patet ex loco jam adducto anal. post. II, 18, ubi δόξαν non necessario veram esse dicit, neque hac in re discedens a Platone, qui in Theaeteto et Sophista totum circumscribit verae falsaeque opinionis ambitum, et ostendit, eam, etsi vera esse possit, scientiae non esse participem; *communia* autem dicit a dialectica tractari, cum non certo adstricta sit argumento, sed ad omnia cognitionis genera debeat adhiberi, quare affinem dicit rhetoricae arti, quae et ipsa diversissimas res hominibus persuadere cupiat, (ἀντίστροφον vocat rhetoricam dialecticae, i. e. altera ex parte ei respondentem) et similibus inductionis et syllogismi formis in exemplis suis et enthymematis (cf. Cic. top. c. 14.) utatur, et *topicam* disciplinam, quam invenisse videtur, totam niti dialectica, top. I, 8. 9. huic enim adsignat munus, locos disputationum in lato opinionum campo exquirendi et *problemata* et *propositiones* ponendi; summum igitur cognitionis gradum, ubi regnet scientia, praeparari quidem vult dialectica, sed non absolvi. Ne autem putaretur dialecticam contemsisse, ipse identidem omnes, qui ante se usque ad Platonem philosophati essent, reprehendit, quod dialectice non essent summas res perscrutati, (metaphys. III, 3.) neque ita de iis statuissent, ut rite posset contra eos disputari, sed praeparatorias omnes de primariis atque oppositis sibi notionibus disquisitiones, ut de simili et dissimili, de eodem et diverso, dialecticis adscribit metaphys. I, 5. et hanc philosophandi normam ipse secutus semper a vulgari sentiendi loquendique ratione aut impugnata aut ad accuratiorem cognitionem revocata transit ad sistendas puras notiones. Neque hoc obscurum est, quid discriminis statuerit artis *logicae* et dialecticae; illa enim, sive, ut rectius dicam, *analytica*, cum non ipse utatur logicae nomine, ea cognitionis pars est, quae a rebus sensilibus ad genera rerum evehitur syllogismi et inductionis ope; dialectica vero non est certa quaedam philosophiae pars, sed omnes simul partes viam iis monstratura comitatur; cf. Analyt. prior. I, 1. seqq. metaph. I, 3. 4. top. I, 2. ubi dicitur omnium disciplinarum causas exquirere. Et videtur omnino, ne hoc taceam, spernere quodammodo dialecticos, quos saepe dicit de omnibus rebus disserere; cum enim ars illa esset philosophice disserendi, et dialogorum prae se ferret formam ac speciem, hanc quidem pro indole sua respuit Aristoteles, cui placuit, non ambagibus multis sed recta via ad finem itineris penetrare, veram autem dialecticae vim non a tali pendere forma exemplo suo egregie ostendit. Paucis ut absolvam, veritatem non in formandis componendisque sententiis versari autumat, sed sublimiorem esse, quam ut certis dictis et formulis possit coerceri, et elucere ex solida mentis et cognitionis contemplatione, quae supra formularum et syllogismi regionem sese extollat; cf. Metaph. X, 3. eximium de philosophica scientia definienda locum, ubi dialecticae id commune esse dicitur cum sophistica, quod ad ipsum *ens* non pervadat, sed dignitas illius multis locis vindicatur et sophistarum opponitur indignitati, ut de reprehens. soph. I, 10. metaphys. III, 2.

ipsi enim philosophi jam dudum patriae statum desperaverant [16]), et ex quo temporum necessitas et dialectica ingenii humani vis patriorum Deorum infregerat potestatem, morbum a se quidem quodammodo poterant defendere sapientes viri, qui a civilibus negotiis remoti salutem sibi et virtutis vires ex cognitione veri quaererent, communi civitatum morbo non poterant mederi. Ut autem omnium animi avulsi erant a reipublicae cura ac communione, ita philosophia quoque ab universa vita, divinitus rebus omnibus et societatibus humanis insita, quae sola vera habenda est, mentem coepit ad se ipsam revocare et angustis internae vitae finibus includere; et cum Academici et Peripatetici in formali philosophiae parte excolenda substitissent, enatae sunt Epicureorum et Stoicorum sectae, quae, quamvis diversissimis viis incedentes, nihil antiquius habebant et libero homine dignius, falsa ista, quam opinabantur, libertate mentis, nulla rerum necessitate motae et concussae. Sed illi, sensuum judicio freti et in his omnia invenientes veri criteria, minus curabant dialecticam artem [17]); hi utebantur quidem ea, ut summa, quae invenerant, genera in tota rerum et disciplinarum universitate constanter recurrere ostenderent, eique simul arctissime annectebant artem grammaticam [18]), sed multo inferiorem ei adsignabant regionem in philosophia sua, quam a Platone vidimus fuisse institutum [19]).

---

16) Testis est Plato, qui cum perversitatem et immodicam licentiam publicae Atheniensium vitae cognovisset, verum philosophum descripsit civilia negotia minus curantem et totum in exploranda veritate defixum, in loco celeberrimo Theaeteti, p. 172—77, et philosophos perfectae civitati praeficiendos esse identidem monens desperavit omnino, veram rempublicam, qualem animo sibi finxerat, in depravato omnium rerum statu posse constitui. Aristoteles quoque theoreticam philosophi vitam multo sublimiorem atque augustiorem esse censet vita, quam dicit practicam, et politicae virtuti inferiorem quam theoreticae locum tribuit in eth. Nicom. X, 7.

17) Epicurum dialecticam, quam supervacaneam esse putaverit, sprevisse narrat Diog. Laert. X, 31. quo crimine eum liberare studet Sextus Empir. adv. log. I, 14. et logicam Stoicorum tantum repudiasse dicit; sed quamquam logicam aliquam introductionem praemisisse putandus est libris suis physicis et ethicis, (scripsit enim teste eodem Diogene X, 30. *κανονικόν*, sive *de criteriis*) dialecticam omnino expellit, qui sensum solum veri fontem statuit; quare libri ejus canonici physicis vulgo adjungebantur, et ipse in vulgaribus rerum vocabulis physicos acquiescere posse dixit l. l.

18) Philosophiam Chrysippeam, quae prae ceteris Stoicorum libris dialectica vi excelluit, sagacissime in vitam revocavit *Petersen* in libro inscripto: *Philosophiae Chrysippeae fundamenta*, Hamb. 1827, in quo de loco, quem ibi tenuerit dialectica, disputat, p. 24. seqq. Mirum est, quanta cum constantia eundem categoriarum schematismum sagaciter excogitatum per omnes philosophiae partes servare intellexit Chrysippus.

19) Videtur communis fuisse omnium Stoicorum sententia, dialecticam eam esse logicae partem, quae versetur in oratione ad definiendas notiones et ad judicandi concludendique rationes bene accommodanda, (cf. Diog. Laert. VII, 43. 84. 189. seqq. *Petersen* p. 25.) ita ut tribus partibus ars logica absolvatur, propaedeutica de veri falsique criteriis et regulis et de notionum definitione disciplina, (*κανονικόν* et *ὁρικόν*) quae nostris hominibus est philosophia fundamentalis, dialectica, quae arte grammatica utatur ad exstruendum notionum syllogismorumque aedificium, (complectitur locos *περὶ σημαινόντων καὶ περὶ σημαινομένων*, *Petersen* l. l.) rhetorica denique, quae intellectis jam orationis principiis hoc instrumento ad per-

Jam in tanta sententiarum discrepantia hoc unum assecuta erat philosophia Graecorum, ut ad plenam libertatis suae conscientiam erigeret animos et a mente veritatem omnem repeteret; nam et ipsa Epicureorum doctrina, quamvis nimium in modum sensibus eorumque fallaciae indulgeret, se in libertatem vindicasse sectatores suos a necessario rerum naturalium nexu gloriabatur [20]), et dum hominem supra res omnes terrestres et coelestes extulit, excultum nobis ostendit canonem istum Protagoreum, hominem esse omnium rerum modum. Et ita, cum haec utraque Stoicorum et Epicureorum disciplina minus versaretur in movendis et agitandis dialectica ratione notionibus, sed ab uno immoto principio profectae logica arte uterentur tantum ad distribuendam omnem scientiae materiam, factum est, ut maximam exercerent in fingendis moribus vim, et constantiam docerent animique tranquillitatem, qua in

suadendum uti doceat. Et ita dialectica grammaticam simul disciplinam involvit; cum autem in disponendis notionibus subsisteret, neque ad necessariam illam priorum de principiis dubitationem pergeret, depressa omnino est nobili loco, in quo eam, velut reginam et dominam philosophiae, posuerat Plato; neque id a primaria philosophiae Stoicae ratione alienum videbitur, qui neque cum Platone ad ἀνάμνησιν quandam insitarum notionum, neque cum Aristotele ad summam mentem moventem omnia ac regentem scientiae originem referrent, sed repeterent eam ab imaginibus animo comprehensis et saepius repetitis, unde notiones enascerentur et *anticipationes*, (προλήψεις, i. e. imagines ante visum comprehensae, quibus universalia rerum naturalium genera complectimur; Diog. Laert. VII, 54.) et puram intellectus actionem sive *sapientiam*, i. e. perfectam et liberam mentis naturam, sed (quod acrior docet hujus philosophiae exploratio, etsi verba repugnent) avulsam a summa, quae est omnium lex et vinculum, divina ratione, veram statuerent esse virtutem. Quamobrem, cum Zeno et Chrysippus et subtilioris ingenii philosophi, qui hos viros sequerentur, summi aestimassent dialecticam et ad virtutes adjunxissent, (teste Cicerone de fin. III. 21. qui in rhetoricis suis et philosophicis libris solet eam angusto Stoicorum termino circumscribere, ut sit ars disserendi bene et vera ac falsa dijudicandi, de orat. II, 38. acad. pr. II, 28.) indoctiores multi hujus sectae homines contemsisse eam videntur et in infimum philosophiae locum abjecisse; quod minus cadit in Posidonium, cujus dictum refert Sextus, (adv. log. I, 19.) philosophiam cum corpore animali conferri posse, ejusque ossa esse dialecticam, carnem physicam, animam ethicam, (pervertit hoc Diogenes VII, 40. comparatio est sagacissima et proponit nobis imaginem vivi et per omnia membra bene dispositi philosophiae corporis) quam in Aristonem Chium, qui eo processit audaciae, ut cum rebus vilissimis, cum aranearum telis (Diog. VII, 161.) platearumque luto eam conferret; (Stob. Serm. 78. 80. Sext. Emp. adv. log. I, 12.) quare Cicero eum omnem vitam confundere dicit de fin. III, 15. et recte conjicit *Tennemannus* in hist. phil. IV, 210. eum ad scepticam Arcesilae rationem a Zenonis disciplina deflexisse..

[20]) Lucret. de rerum natura, I, 67 — 75. sublimiorem illum, qui vulgo non solet agnosci, philosophiae Epicureae nisum egregie ita describit:

Primum Grajus homo mortales tollere contra
Est oculos ausus, primusque obsistere contra,
Quem neque fama deum, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compressit coelum, sed eo magis acrem
Irritat virtutem animi, confringere ut arcta
Naturae primus portarum claustra cupiret.
Ergo vivida vis animi pervicit, et extra
Processit longe flammantia moenia mundi,
Atque omne immensum peragravit mente animoque.

turbido et labanti omnium rerum statu maxime opus esset; quamobrem innumeram nactae sunt sectatorum multitudinem inter Graecos et Romanos, cum Academicorum et Peripateticorum sectae, quorum summum opus esset in tradenda, quam acceperant, disciplinarum forma, in scholarum umbris delitescerent, nec novam vitam possent inspirare veritati a Platone atque Aristotele propositae. Omnibus vero, uti videbatur, mentis certaminibus exhaustis, cum nusquam perfecta dispiceretur veritas, jam plane secessit a dogmatica, quam vocant, philosophandi methodo sceptica illa cogitandi ratio, quae inde ab Eleatis comitata erat philosophiam, et partim ab ipsis summis philosophis ad indagandam veritatem adhibita, partim in scholis dialecticorum summo cum amore erat exculta [21]). Illa ne in mente quidem veritatis esse fontem statuit, et quaecunque aut sensibus percipiantur aut ratione intelligantur falsa et ficta esse docuit, constantemque induxit de omnibus rebus dubitationem, cum in omnibus singulisque opposita cerneret et contraria. Qua ratione et dialecticam et ipsam veritatem multum profecisse merito agnoscamus; nam ut haec posset emergere, opus erat

---

[21]) Dialectica Eleatarum ratio jam involvit dubitationem de ipsis principiis, sed demonstrata *non-entis* vanitate superavit quodammodo dubitationem et ad certum veritatis principium progressa est. Plato et Aristoteles recta illa et legitima σκέψει, quae versatur in explorando vero et secernendo ab errore, semper usi sunt ita, ut dubitationem tamquam veri partem et quasi vestibulum proponerent, et mota illa solutaque demum notionum veritatem recluderent. Megarici contra placito suo, alia esse, de quibus alia praedicentur, et alia cuncta inter se esse diversa, (Simpl. in phys. Arist. p. 26. vide supra not. 8.) totam si hujus dicti vim ponderemus, eo pervenire debebant, ut omnem negarent scientiam, et hac ipsa negandi audacia Eleatas transcendentes in nudum, qui vulgo dicitur, scepticismum deferrentur. Ex alia autem parte ultima physicae scholae capita, Leucippus et Democritus, dubitationem moverant de rerum visibilium veritate, substrata et principia omnium *atomos* et *inane* ponentes, quae omnem experientiae regionem transgrederentur et jam in se ipsa repugnantiam ferrent vix dissolubilem; unde explicandum est, quomodo Pyrrho, quem traditum accepimus scepticismi auctorem, Democriti doctrinam valde admiratus (Diog. Laert. IX, 67.) simulque Stilponis discipulus, instituerit, sceptice et dubitanter (cum retinentia, quare τὸν τῆς ἐποχῆς λόγον dicitur protulisse ibid. p. 62.) de universa scientia loqui. Credo equidem, non leve argumentum inde petendum esse contra eos, qui Tennemannum (hist. phil. V, 62. seqq.) secuti non a Pyrrhone seu amico ejus Timone sillographo sed ab Aenesidemo inventos esse celeberrimos decem dubitationis modos putant, (τρόπους) quos Sextus copiose exponit in hypotypos. Pyrrhon. cap. XIV; hi enim omnes nihil evincunt nisi rerum sensibilium ipsorumque sensuum inconstantiam, quo, auctore Democrito, priores physici recte poterant impugnari, sed non illi, qui ex Socratica schola profecti non a sensibus veritatem et scientiam pendere intellexissent; atqui Pyrrhonem, quamvis ingenium ejus dialectica Socratis methodo, quam a Phaedone fortasse didicerat, excitatum esset, Platonicae philosophiae aut nullam aut exiguam habuisse notitiam veri est simillimum; quare videntur Pyrrhoniani contra physicos invenisse locorum scepticorum decadem, Aenesidemus ejusque asseclae recepisse eam et accuratius elaborasse; cf. Diog. Laert. IX, 79. seqq. Ipse vero Aenesidemus non substitit in istis scepticismi elementis, sed maxime eum jam ad latentem in primariis notionibus contradictionem attendisse patet ex argumentis a Sexto traditis, (adv. phys. I, §. 218. et Pyrrhon. hypotyp. cap. 17.) quibus causalem rerum nexum, quod fundamentum erat intellectualis naturae contemplationis, (non dissimilis hac in re Humii, Anglorum philosophi) conatus erat concutere. Ceterum illi τρόποι ita sunt apte distributi, ut quatuor ex iis sensuum asserant (dicere solemus *subjectivam*) fallaciam, quatuor rerum sive *objectivam* falsitatem, ultima duo eandem inscientiam in universo genere humano inveniri ostendant.

solida τῶν ἀντικειμένων sive antinomiarum (ut cum Kantio loquar) rationis cognitione, quae, nisi ad sublimiorem ascendamus contemplationem, in toto notionum ambitu et complexu recurrunt semper iisque insitae labefacere eas videntur et evertere [22]). Et sic inimicitiae exortae erant, quae numquam videbantur posse conciliari, nisi ipsa temporum lex novam parasset veritatis formam, cujus causam aliquam ex domito ab Alexandro oriente venisse facile concedamus, veram rationem in ipso Graecorum ingenio esse exquirendam nemo dubitabit, qui cognoverit, non ex confusione quadam et mixtura, sed ex constanti ingenii progressu veram enasci posse philosophiam [23]). Ex quo enim excelsi multi inter Graecos et Romanos

22) Nova Academia, cum enata esset ex revocata Socratica disserendi et disputandi ratione contra Zenonis Stoici philosophiam, (Cic. de fin. II, 1.) in opere sceptico parum sibi constitit; rejecto enim sensuum judicio et certis omnibus veri criteriis sublatis (qua in re dialecticam Platonis methodum retulit Arcesilas, sed contra κατάληψιν Stoicam disputans parum intellexit Platonicam de ideis doctrinam) abstinendum quidem a rerum, quales vere sint, cognitione docuit, sed rationem comparatione atque analogia propius ad veritatem posse accedere et ad aliquam veri speciem pervenire. Dialecticam ab Arcesila contemni, non sequitur ex dicto ejus a Stobaeo (Serm. 80.) tradito, quo dialecticorum, i. e. Megaricorum fallaces conclusiones leviter tangit et cum ludi tesserarii vanitate comparat; sagacissimam autem comparationem dialecticae cum polypo idem Stobaeus l. l. servavit Carneadis, qui quanta cum acrimonia et severitate disseruerit de Deo neque finito neque infinito contra rationem Stoicorum, testatur Sextus adv. phys. I, 140. seqq. cf. Cic. de natura deorum III, 12. seqq. Aenesidemus speciem quidem veri reliquit, sed ad sempiternum Heracliti fluxum viriumque antagonismum reversus discessit ab hoc, quod opposita non vere in eadem re inesse docuit, sed videri tantum inesse; (Sext. hypot. Pyrrh. I, §. 210.) et cum ipse expulso ordine et nexu causali fixas omnes et traditas intellectus notiones concussisset, Agrippa quinque adjecit dubitandi modos, ad methodum magis philosophandi pertinentes, de quibus argumenta duo ab infinito omnium notionum, quas gignit ex se intellectus et distinet, ne concilientur, et processu et recessu (ἀπὸ τῆς εἰς ἄπειρον ἐκπτώσεως) et a relativa omnium ratione (ἀπὸ τοῦ πρός τι) contra scientiae veritatem repetita gravissimi erant momenti, nec logica Stoicorum methodo solvenda. (Sext. hyp. Pyrrh. I, 15.) Sextus denique, qui priora scepticorum conamina recepit et apicem omnibus imposuit, eo pervenit, ut ipsam negationem tolleret, quam priores, a se ipsi discedentes, principium dubitandi esse voluerant, (ne hoc quidem certum statuens, omnia talia esse, ut comprehendi nequeant, hyp. Pyrrh. I, c. 24 — 26.) et ita, quod saepe factum videmus, scepticismus perfectus et absolutus imbecillitate sua corruit et in oppositam sibi veritatem transiit. Sic jam in ipsa Sexti vicinia (quod probabilibus argumentis ostendit Tennemannus, hist. phil. V, 269.) Ammonius novum extulerat veritatis signum, quod acceptum a Plotino finem faceret sceptico disputandi generi.

23) Diu haec temere concepta opinio de *eclectica* quadam Alexandrinorum philosophia turbavit multos et absterruit, ne diligentius inspicerent systema, in quo horridam scientiae ac superstitionis, graecarum barbararumque opinionum, placitorum Platonicorum atque Aristotelicorum colluviem timere consueverant. Nihil magis alienum fingi potest a natura veritatis, quae non ex collectis acervatim opinionibus conflatur, sed seminis instar aeternam suam vim ac vitam exserit in proferenda ramorum florumque varietate, nec semel incensa exstingui potest, sed ad novas semper et incognitas mentis naturaeque regiones illustrandas progreditur. Fuerunt omnino (quod facile concedamus) omni tempore eclectici, qui ex dogmatis male aptis et nexis philosophiam sibi mero arbitrio fabricarentur, et ita veteres multi in tanta doctrinae copia studebant optima ex omnibus eligere et harmoniam quandam Platonicae et Aristotelicae doctrinae subtiliter excogitare, uti jam Antiochus non rerum, sed verborum discrimina esse dixerat inter Academicos tum veteres tum novos, Peripateticos, Stoicos; (Cic. de fin. V, 3. 8.) sed illi sibi tantum, non posteris, tale opus moliebantur, eorumque labores evanuerunt. Plotiniana autem doctrina recepit quidem multa,

homines ad serenam purae mentis regionem evolaverant, in eaque omnem invenerant veritatem, desiderium excitatum est flagrantissimum, divinam illam mentem, qua se ipsos moveri atque agitari senserant, a rerum mortalium contagione separandi, et omnem rationis complexum in una summa numinis idea conjunctam cernendi; et cum nusquam in mundo cernerent verum et solidum rerum humanarum statum, collapsa civitatum libertate et ruente veterum deorum cultu, ad mundum intelligibilem, quem supra terram elatum in coelo ponerent, animos abripiebant, et, quae divina effata Plato protulerat de summo bono et de ideis, veritatis fonte et principio, ea renovabant ita, ut intimam in sancto mentis recessu latentem Dei conscientiam illustrare studerent et explicare. Et cum eodem tempore divina effulsisset in Christo lux, quae plenam et perfectam veritatem in omne tempus largiretur hominibus, in toto Romano orbe animi coeperunt, spreta terrestris vitae vanitate, Deo repleri et ad Dei conscientiam impelli; sed quae enata erat ex Graeco ingenio philosophia, ea jam relicta rerum varietate, unde profecta erat, ad Dei sensum animo altissime impressum revoluta est, et supra omnem veritatem dialectico modo exquisitam intellectualem posuit Dei visionem [24]), et Deum, attributis omnibus exutum, vita quasi et potentia privavit; christiana autem doctrina revelatum ostendit et placatum Deum, qui, ubique in rerum universitate vivens, neque ab hominibus neque a natura remotus, veram sui imaginem mortalibus in aeterno filio donavit, omniumque mentes sancto suo spiritu ad se revocat. Quare post ultimos illos in philosophia Alexandrina Graeci ingenii labores reviviscere non potuit antiqua sapientia, sed transgrediendum erat ad divinam lucem, quod intellexerunt multi docti subtilesque homines, nemo autem Origene, divino viro, rectius. Jam ut ad propositum meum et ad exponendas dialecticae Plotinianae causas revertar, duplex erat philosophandi ratio, quam susceperat impugnandam, Peripatetica et Stoica; utraque enim in scholis, Stoica insuper a summis in orbe Romano viris, assidue tractabatur; sed Peripateticos ita impugnavit, ut formalem tantum categoriarum usum repudiaret [25]), veram philosophiae Aristotelicae vim re-

---

quae a Platone atque Aristotele erant proposita, sed in unum vivum redegit corpus, et novo junxit vinculo; neque in illa invenimus, quae ex orientali philosophia essent repetenda, cum tota ex Graeci ingenii saeculorumque progressu facillime intelligatur. Nam, etsi excitati erant Ammonius et Plotinus a theologia orientali ad indagandam Dei naturam, dialectice hoc egerunt et uti philosophos decebat. Platonicos quidem posteriores, Porphyrium et Iamblichum, nimium indulsisse superstitioni, et, ut divinae veritati suam opponerent, magnam recepisse errorum farraginem constat; sed discesserant illi a Plotini puritate et dialectica vi. Plotinum immiscuisse omnino Stoica et Peripateticorum dogmata scriptis suis et saepissime metaphysicis Aristotelis libris usum fuisse, non reticet Porphyrius in vita Plotini, p. 9, edit. Basil.

[24]) Quater Plotino visum fuisse summum Deum, supra mentem et intelligibilia omnia elatum, testatur Porphyrius, (vita Pl. p. 16.) cui simile aliquid semel tantum longaevo seni acciderat; hunc enim fuisse summum Plotini finem, ut in intimam Dei veniret societatem. Ipse Plotinus pio cum enthusiasmo hanc suam beatitudinem describit Enn. IV, 8, 1.

[25]) Disputat contra Peripateticorum categorias Enn. VI, 1, 1 — 24, quibus in secundo et tertio ejusdem En-

tineret [26]), quamvis in singulis ab eo discedens [27]); Stoicorum autem non solum categorias [28]), sed totam sentiendi agendique rationem gravissime reprehendit [29]). Praeterea duplex ex oriente in occidentales imperii Romani regiones irrepserat insania, una Gnosticorum [30]), qui veritatem christianam somniis suis ex turbidis Asiaticis fontibus haustis turbabant, et contemtis summis philosophiae inter Graecos auctoribus [31]) eo usque errorum per-

neadis libro suas opponit. Nondum defloruisse ista aetate scholam Peripateticam docet Longinus, qui (in epistola de Plotino scripta, vita Pl. p. 13.) lumina illius nominat Ptolemaeum et Ammonium, (cum Sacca non confundendum) viros summa eruditione instructos.

[26]) Sic doctrinam Aristotelicam de vi et efficacia, de motu, de summo omnium fine, non diverso a vero rerum principio, recepit quidem, sed suo modo excoluit et perfecit, quod pluribus infra ostendetur.

[27]) Ἐντελέχειαν Aristotelis improbat Enn. IV, 2, 1. et saepissime, nulla ejus mentione facta, in eo refellendo versatur.

[28]) Severam earum agit censuram Enn. VI, 1, 25 — 30. cf. *Petersen* in libro supra laudato p. 39. seqq. Ibidem c. 28. Plotinus fundamentalem Stoicorum doctrinam, perceptionem omnis cognitionis esse fontem, dialectice impugnat. Clarissima tunc temporis Stoicorum nomina exhibet Longinus in Porph. vita Pl. p. 13.

[29]) Cum raro nominet adversarios suos Plotinus, haud facili opera definiendum erit, ubi contra Stoicorum aliorumve opiniones loquatur. Sic scripsisse videtur contra Stoicos opusculum περὶ ἐξαγωγῆς, (Enn. I, 9.) in quo mortem voluntariam nullo modo admittendam esse statuit; animam nec qualitatem nec formam corporis esse sed dominam, saepissime injungit, quam Stoicorum fuisse sententiam veri simile fit locis a *Petersenio* p. 64. seqq. adductis, cf. Enn. IV, 3, 20. corpora sese invicem permeare negat Enn. II, 7. et rejicit loquendi modum Stoicorum, qui, quidquid vere esset, *corpus* nominabant, Enn. VI, 1, 28; libertatem asserit voluntatis humanae, quam multi Stoicorum doctrina sua de fato tantum non sustulisse videntur, in praeclarissimo libro *de libertate et uno*, Enn. VI, 8; Chrysippi de tempore, motionum modo atque intervallo, sententiam (*Petersen* p. 168.) refutat in libro de *tempore et aeternitate*, Enn. III, 7. et talia multa.

[30]) Valentinum gnosticum Romae multos habuisse sectatores constat, et eadem fere placita, quae a Clemente Alexandrino aliisque ad eum referuntur, impugnat Plotinus in libro sagacissimo adv. Gnosticos, Enn. II, 9. Adelphium atque Aquilinum isto tempore exstitisse dicit Porph. in vita Pl. p. 10., ex vetere philosophia, i. e. ex orientali Indorum Persarumque mythologia, profectos et a Zoroastro aliorumque revelationibus sapientiam suam repetentes. Adjicit Zoroastro Zostrianum, contra quem Amelius Platonicus quadraginta libros conscripserit, Allogenem, Nicotheum, (subire possit animum legere Νικολάου, quem gnostici quidam sectae suae principem putabant, cf. Clem. Alex. strom. II, 411. III, 436. *Neander* hist. eccl. I, p. 776.) et Mesum. (Μέσου in Μωΰσου facillime mutaretur, nisi Gnostici a vetere testamento maxime fuissent alieni; quamquam Valentinus, reliquis mitior, Hebraeorum quoque prophetis pneumaticam aliquam, uti dicebat, inspirationem reliquerat, cf. *Neander* p. 718.) — Diversusne fuerit Alexander ille Libycus, cujus scripta tunc temporis Romae circumlata fuisse narrat Porphyrius, ab Alexandro, quem Valentinianum nominat Tertullian. adv. Valentin. IV, quis definire audeat?

[31]) Platonem nondum in arcana mundi intelligibilis penetrasse dicebant, teste Porphyrio l. l., et ipse Plotinus in libro adv. Gnost. c. 6. 10. graviter in eos invehitur, quod, cum optimam doctrinae suae partem ex Platone hausissent, perverterint eam et turbaverint et ingrati contemnere ausi sint Platonem aliosque nobilissimos Graecorum philosophos. Valentinianos quidem maxime inter omnes philosophicae rerum contemplationi deditos fuisse purioraque multa, quam reliqui, tradidisse existimandum est ex eorum dogmatis; sed illi quoque lubentissime ad orientalem universae gnoseos originem recurrebant.

venerunt, ut corpora omnia umbram esse et vanam speciem et solos se divina providentia dignos et a Deo diligi jactarent;[32]) altera astrologorum,[33]) qui vulgari superstitione de inevitabili fato siderumque vi abutebantur ad pervertendos magicis et theurgicis artibus miserae plebis animos. Quid autem de dialectica senserit Plotinus, testatur ipse in libro *de dialectica* Enn. I. 3.

Triplicem ille adscensum esse docet ad veritatem puramque mentem, pulchro, cujus vehementissimi sensus excitentur in hominibus musicis, (c. 1.) amore, qui flagrantissimo boni ac veritatis ardore animos incendat, (c. 2.) philosophia denique, cujus praestantissima pars sit dialectica; (c. 3—6.) hanc igitur artem in pristinam dignitatem restituit, et totum ejus officium egregie describit. Dicit enim eam, relicto sensuum mendacio, in mundo intelligibili collocatam animam quasi pascere in veritatis campo, ita ut primum Platonico more[34]) veritatem ab errore secernat speciesque et genera distribuat, deinde, quid sit unumquodque, ostendat, denique primas generum notiones apte connexas resolvat, donec universam mentem permensa ad principium perveniat, in quo placide possit acquiescere, multo autem praestantius hoc opus esse, quod recta via ad Deum nos perducat, logicis illis syllogismorum et judiciorum (προτάσεις solet vocare, ut quae sint syllogismi propositiones et elementa) artificiis, necessariis quidem, uti literarum cognitione opus sit ad aliam omnem scientiam, sed

---

[32]) Adv. Gnost. c. 9. 15. — Videre nobis videmur illo in libro ultima Graecae philosophiae certamina contra irrumpentem ex oriente somniorum et poematum undam, et est, quod miremur sanam Plotini mentem, qui, ipse Dei plenus neque admodum res terrestres curans, insanam istam mythologiam de hostili indomitaque materia, de rerum universitate ex lapsu quodam et fallaci imagine animae (sapientiae, quam illi hebraico vocabulo *Achamoth* nuncupabant) exorta, de regnante in mundo malo, de mundanarum rerum contemtu, omni vi reprimere studuit. — Quod autem ne minimo quidem verbo Christianae doctrinae mentionem facit, quam et Alexandriae et Romae florentem probe poterat cognovisse, hoc ita censeo esse intelligendum, ut dicamus, eum in Gnosticorum libris, qui primi in corpus aliquod redegissent religionis dogmata, apicem quasi christianae philosophiae quaesivisse, neque accuratius fuisse perscrutatum, cum ubique gnosticos errores invenisset dispersos, quae esset orthodoxorum, quae haereticorum sententia.

[33]) Scripsit contra eos librum πῶς ποιεῖ τὰ ἄστρα, Enn. II, 3. — Nec Plotinus (quod ab isto saeculo non erat exspectandum) liber erat ab opinione quadam superstitiosa de magico virium naturalium usu, quam γοητείαν vocabant, eamque ex admirabili totius mundi harmonia et nexu studuit ostendere, cf. Enn. IV, 4, 30 — 44., sed rejecit eam in regionem necessitatis et a mente humana defendit, quam virtute sua et libertate contra magicorum impetus satis armari dicit Enn. IV, 4, 44. et in libro *de fato*, Enn. III, 1, 4. 5. Astrorum quoque positione et configuratione portendi quidem res futuras, sed non effici docet Enn. II, 9, 14. nec terribilem esse mortalibus pulchrum et artificiosum divinaque vita repletum astrorum ordinem, Enn. IV, 4, 35. Ipse Plotinus, cum Olympius Alexandrinus, invidus homo, magicis eum siderationis vinculis adstringere tentasset, novo quodam miraculo malam artem ad illum retorsisse traditur a Porphyrio nimis credulo. — Quam altas radices egerit apud Graecos magica ista superstitio, et quale discrimen μαγείας et γοητείας statuerint, patet ex docta *Sturzii* expositione de Empedoclis magia. (*Empedocles Agrigentinus*, p. 35 — 56.)

[34]) Proxime sequitur definitionem, quam in Phaedro proponit Plato; cf. n. 2.

quae ipsa subjicienda sint censurae et dijudicationi. Jam apparuit, dialecticam non solum esse veritatis instrumentum, nec nudas (uti putabant Stoici) regulas et propositiones continere [35]), sed in rebus cognoscendis, tamquam materia sua, versari, et in exponendis mentis motibus judiciorum et syllogismorum formas non supponere, sed vere cognoscere; partim autem in iis, quae sint, subsistere, (φρόνησιν dicit hoc philosophiae munus, i. e. sapientem rerum terrestrium contemplationem) partim supra omnem rerum numerum ad coelestia atque aeterna sese extollere, et tum demum veram absolvi mentem. Physicam et ethicam disciplinam non formam tantum, sed veritatis suae argumenta haurire ex dialectica, et, uti naturae summus finis sit contemplatio, (cf. praestantissimum librum *de natura et contemplatione et uno*, Enn. III, 8.) ita perfectum sapientem esse simul verum dialecticum [36]). Neque spem, quam talibus promissis de se excitat, fallit Plotinus; nam de rebus, quae ista aetate cum maxime in disputationem venerant, ut de materia, de vita divina rerum naturam penetrante, de animi libertate atque immortalitate, de vera virtutis indole, de mali origine ac natura, de summis rerum coelestium et terrestrium generibus, de uno in multis sese exserente, de summo denique bono ejusque efficacia [37]) dialectico acumine disserit, et multum abest a fanatico isto et nebuloso philosophandi genere, cujus antesignanus vulgo habetur [38]). Nihilominus in methodo sua dialectica a Platone atque Aristotele hac in re discedit, quod, cum illi ab errore instituissent ad verum penetrare et a simplicissimis veritatis formis ad pleniores et sublimiores ascendere, ipse a certissima Dei conscientia, quam omni dubitatione solutam animo habebat impressam, profectus hac luce singula quaeque collustrare studuit et omnium rerum vanitatem ostendere, nisi a Deo vim et vitam accipiant. Neque, uti illi, a

---

[35]) *Οὐ γὰρ δὴ οἰητέον, ὄργανον τοῦτο εἶναι τοῦ φιλοσόφου, οὐ γὰρ ψιλὰ θεωρήματά ἐστι καὶ κανόνες, ἀλλὰ περὶ πράγματά ἐστι καὶ οἷον ἔχει τὰ ὄντα.* Haec verba, nisi contemtus diu jacuisset Plotinus, novam digmioremque jamdudum excitare poterant logicae tractationem, quae usque ad Hegelii labores numquam satis laudandos in formularum syllogismorumque lusu sibi placuit, neque ad verum inveniendum valuit.

[36]) Polemicam dialecticae partem, quae alienos errores susceperit refellendos, necessariam quidem esse vult Plotinus, sed, dummodo recte ad veritatem progrediamur, mendacia omnia et sophismata obiter carpenda esse et tollenda, Enn. I, 3, 5.

[37]) Plotinus cum minus id ageret, ut notionum proprietatem et discrimina exponeret, quam ut ad unum omnia revocaret, non seorsim persecutus est diversas philosophiae partes, sed singulos conscripsit de singulis problematis libellos et in omnibus statim ad Deum et intelligibilem mundum recurrit; variam in illis dispersam materiam ita digessit Porphyrius, ut prima contineret ethicam seriem, secunda et tertia physicam, quarta psychologicam, quinta theologicam, (haec duo unum esse corpus dicit, quo philosophia mentis universa exponatur) sexta denique summam dialecticae proponeret in doctrina de primis rerum generibus et absolveretur libro *de bono seu uno*, tamquam theologiae apice; vita Pl. p. 17.

[38]) A Tennemanno, qui multa a Plotino egregie dicta et amplioris veritatis semina sparsa esse concedit, dictum nolim, (hist. phil. VI, 166.) philosophiam Plotinianam nihil esse nisi fanaticam aliquam insaniam in systematis formam redactam.

multis ad unum pervadere instituit, sed ab uno in multa descendere [39]), et, cum illi a circuitu quasi mundani orbis ad centrum pervasissent, ipse in centro statutus et in Deo vivens radios descripsit ad circuitum inde ducentes [40]). Sed, quod supra monui, hoc instituto eo pervenit, ut ipsos philosophiae fines escenderet; neque enim, ut priores illi, summam et (quae est nostratium vox) absolutam mentem esse statuit Deum, sed supra mentem elatum [41]), inaccessum, omni cogitatione et cognitione superiorem, qui visione quadam exorientis lucis more menti subito appropinquet, subito extinguatur [42]). Quae summi numinis conscientia, in arcanis animi vivens et ex tranquilla divinarum rerum contemplatione maxime exardescens, vera et certa sane habenda est inveniendi Dei ratio, dummodo cognitionem sequatur; sed philosophus, qui, immemor dicti ab ipso Plotino propositi, delabi e mente, qui mentem transcendere audeat [43]), sensum quendam internum principium scientiae esse vult, operi suo delendo ipse primam videtur manum inferre. Et haec est fundamentorum dialecticae Plotinianae imbecillitas; disputat quidem dialectice de plurimis rebus, et prioribus omnibus philosophis luculentius summa notionum genera statuit et veram perspexit scientiae naturam [44]), sed, cum omnium rerum principium extra mentem posuisset, si voluisset sibi constare, abjicere debebat philosophicam omnem rerum perscrutationem et universam mundi varietatem, et totus in Dei sensum aliquem inenarrabilem sese immergere. Quam causam esse censeo difficilioris ejus in philosophando methodi; videtur enim et Platone et Aristotele obscurius

---

[39]) Hunc ab uno in multa descensum luculenter describit in libro verae sapientiae pleno *πῶς τὸ πλῆθος τῶν ἰδεῶν ὑπέστη καὶ περὶ τἀγαθοῦ*, VI, 7. — Primaria erat Plotini sententia, immensam rerum seriem insita iis contemplatione a natura non animata ad animam progredi et in mente absolvi. (*πάντα εἰς νοῦν σπεύδει*, Enn. III, 8, 7.)

[40]) Saepissime Deum proponit sub imagine centri innumeram radiorum multitudinem emittentis, (ut Enn. V, 1, 10.) seu solis, inexhausti luminis fontis. (Quare internum Dei visum cum pura et serena luce comparat Enn. V, 5, 7.) Praecesserat Plato in rep. p. 508. Aliter Enn. V, 6, 4. Deum cum puro et immixto lumine, mentem cum sole, animam cum luna comparat.

[41]) Deum supra duplicem mentis functionem, ut sit intelligens simul et intellectum, (*subjectum et objectum*) elatum esse saepe monet, ut Enn. V, 6, 2. Quapropter Deum nec intelligi docet nec se ipsum intelligere, sed intueri quasi se ipsum, VI, 7, 39. 9, 4.

[42]) *Ὁρᾶν δὴ ἔστιν ἐνταῦθα κἀκεῖνον καὶ ἑαυτόν θεὸν γενόμενον, μᾶλλον δὲ ὄντα, ἀναφανέντα μὲν τότε, εἰ δὲ πάλιν βαρύνοιτο, ὥσπερ μαραινόμενον*, Enn. VI, 9, 9. Hoc est mysticae unionis culmen, in quo ipse animus Deus quasi fit.

[43]) Enn. II, 9, 9. *δύναται δὲ (ἡ ψυχὴ θεὸς γίγνεσθαι) εἰς ὅσον νοῦς ἄγει, τὸ δὲ ὑπὲρ νοῦ ἤδη ἐστὶν ἔξω τοῦ νοῦ τὸ πεσεῖν.*

[44]) Cardinem scientiae et philosophiae ponit hunc, Enn. V, 9, 7. *καθόσον εἰσὶν ἐπιστῆμαι, εἰσὶν ἕκαστα ἃ νοοῦσι.*

loqui et aeque distare ab amoenitate Platonica atque ab Aristotelis accurato et exacto dicendi genere [45]). Accedit, quod ipse pro indole sua erat breviloquentissimus minimeque in scribendo accuratus [46]), et nimium in modum subitis et desultoriis disputationibus deditus [47]). Quod autem a quibusdam dictum est, parum eum fuisse in literis elegantioribus exercitatum [48]), id infirmatur non solum Porphyrii verbis, qui larga eum eruditionis copia instructum fuisse testatur [49]), sed ipsis Plotini scriptis; repleta enim sunt cum literarum omnium tum prioris philosophiae notitia, quorum auctores nominat interdum, saepius reticet, ne a nominibus aut assensio aut contradictio pendere videretur. Vix vero crediderim, accuratius eum cognitum habuisse orientalium dogmata, quorum ut exploraret reconditam sapientiam, iter ad Persas et Indos moliebatur; sed fefellit eum expectatio [50]), nec scripta ipsius, quae ubique Platonem ducem sequuntur ejusque mythicam saepe summarum rerum expositionem illustrant, talem produnt orientalium literarum cognitionem. Multa quidem Alexandriae in isto tot gentium confluxu tradita poterat accipere de miro et inexhausto sapientiae fonte, quem in remotissima Asia scatere jam tunc multi fabulabantur, nec alienum fuisse videmus

---

[45]) De abstrusa, quam plerique horrent, obscuritate Plotini deque tractatione ejus ad interpretandum Platonem utilissima bene loquitur Creuzer in epistola ad Wyttenbachium, praemissa edito libro de pulcritudine, p. XLII. Brevitatem ejus, qua certius sententiae animo imprimerentur, et gravissimarum sententiarum abundantiam atque exsuperantiam laudat Porph. in vita, p. 9.

[46]) Cf. Pl. vita, p. 3. Convenerat inter clarissimos Ammonii discipulos, Plotinum, Herennium, Origenem, ne quid dogmatum praeceptoris in vulgus ederent; quo pacto ab illis mox violato diutissime ipse stetit et quinquagesimo demum aetatis anno animum ad scribendum appulit; maluit enim viva voce uti, qua in scholis suis magnopere excelluerat Ammonius. Nec sustinuit, scripta relegere, neque ullam recte eleganterque scribendo operam dedit, sed uno quasi tenore totam, quam animo conceperat, expositionem absolvit.

[47]) Cum familiaribus suis ita disputavit, ut se illis interrogandum exhiberet, unde duplex orationis vitium enatum est, sermo injectis quaestionibus et dubitationibus, quae non omnes solvuntur, turbatus atque interruptus, et immodicae sententiarum repetitiones, quibus placidus cogitationis progressus impeditur; querebatur quoque Amelius, discipulus ejus dilectissimus, colloquia ista confusione et nugis repleta fuisse; vita Pl. p. 3.

[48]) Quod a *Bruckero* quoque (in hist. phil. II, 219.) factum videmus; non amat Plotinus, lectorum librorum memoriam ubivis inspergere, quo eruditionem suam ostentaret; testantur autem scripta ejus, quanta cum diligentia poetarum philosophorumque scripta tractaverit.

[49]) Vita Pl. p. 9., ubi non solum prioris philosophiae, sed musicae quoque, geometriae, arithmeticae, mechanicae, opticae peritissimus fuisse traditur, quamquam non promptus fuerit ad artes hasce exsequendas; ceterum Porphyrius adjicit, regulas astronomicas eum didicisse more non admodum mathematico, quod judicium ferri quoque poterat de optica ejus scientia in opusculo: *quare remota a nobis parva videantur* (Enn. II, 8.) conspicua, ubi omnem mathematicam doctrinam a se propellit.

[50]) Nonum et tricesimum vitae annum agens comitatus est imperatorem Gordianum Persis bellum inferentem, quo in Mesopotamia interemto vix Antiochiam et anno insequenti, imperatore Philippo Arabe, Romam pervasit; vita Pl. p. 2.

ab antiquis Aegyptiorum et Graecorum mysteriis et symbolis [51]); credamus etiam facile, commercia eum egisse cum doctis Judaeis, quorum schola quaedam philosophica Alexandriae jamdudum enata erat; exstiterant enim ibi sagaces ex ista gente viri, qui, uti Aristobulus et Philo, Deum in doctrina Mosaica reconditum et Sinaitica quasi nube circumfusum flagrantissime cuperent cognoscere aeternamque ejus in mundo et in mente praesentiam philosophica ratione explicare [52]), et cum Platone Mosem inceperant conciliare. Denique, quod olim dictum est ab iis, qui gloriae Plotini maligne vellent obtrectare, scrinia eum Numenii Platonici compilasse [53]), id Longini, diligentis et probi hominis, testimonio [54]) satis revincitur, et ipsa philosophiae Numenianae fragmenta semina quidem continere videntur Neoplatoni-

[51]) Sic Mercurium, quem summum in mysteriis locum tenuisse constat, symbolum esse vult animae materiam formantis omniaque ex ea procreantis, rejicit autem comparationem materiae cum Iside, Enn. III, 6, 19. Visionem Dei ultimum quasi mysteriorum gradum dicit, et saepissime mythos aut ipse pro consilio suo inflectit aut receptam in mysteriis interpretationem exponit, uti fabulas de Coelo, Saturno, Jove ad tria philosophia suae principia illustranda ingeniose adhibet et reconditum ex iis Platonico more elicit sensum; cf. Enn. V, 8, 13., et de mythis quibusdam Plotinianis uberrime disputantem Creuzerum in praeparatione ad librum de pulcritudine, p. 34 — 90. — Symbolicam rerum significationem, quam in hieroglyphis invenerat, supra literarum verborumque in sermone compositionem ponit; illam enim uno quasi obtutu plenam cogitationum seriem exhibere, et imaginem esse summae sapientiae, quae in uno contineat omnia, hanc sensim sensimque ad totum construendum progredi et repraesentare quasi causalem rerum terrestrium nexum; concedit autem ipse, non accuratam illam, sed innatam aliquam esse Aegyptiorum sapientiam; Enn. V, 8, 6. Argutius mysticum signorum istorum sensum eruere conatur Jamblichus de myst. in sect. VII.

[52]) Prima subtilioris de summis rebus quaestionis initia in gente Judaica enata jam in libris Jobi et ecclesiastici cernuntur, quibus ex fontibus omnia fere hausit auctor apocryphi sapientiae libri; hunc nemo, qui vel obiter inspexerit, philosophum dicet, parcum enim rudemque graecorum formularum usum popularibus suis opinionibus adjungit; ceterum refertus est liber egregie dictorum copia; sic, quae dicuntur ibi de divina sapientiae vi omnia penetrante atque illustrante, (VII, 21 — 30.) memoriam revocant loci Plotiniani vere poetici, ubi vividis coloribus purae mentis coelestis et pellucida depingitur pulcritudo, Enn. V, 8, 4. — Aristobulus (quod in homine Ebraeo mireris) Peripateticorum sectae erat addictus; cf. Euseb. praeparat. evangel. VIII, 9. Brucker hist. phil. II, 698. praelusisse quasi videtur doctis medii aevi Judaeis, qui, uti Arabes, categoriis Aristotelicis ad sua dogmata componenda utebantur. — Philo denique latentia in libris sacris philosophiae semina elicuit, et quae in illis traduntur de spiritu divino per mundum disperso et sapientiam coelestem cum electo populo communicante, ea Graeca subtilitate explicare studuit et ad *rationem verbo* sese prodentem (λόγον) omnem Dei efficaciam revocare. Quapropter interpres magis sagacissimus Ebraicae doctrinae censendus est, quam novorum philosophematum auctor. Ipsum discrimen rationis divino numini insitae (λόγος ἐνδιάθετος) et progressae inde atque in mundo sese exserentis, (λόγος προφορικός) quod philosophandi sibi principium videtur statuisse, non ipse invenit, sed recepit a Stoicis; cf. Sext. Emp. Pyrrh. hyp. I, 65. et Fabricii notam.

[53]) Calumniae illius auctor nominatur a Porphyrio Trypho quidam, Stoicus simul et Platonicus, contra quem Amelius scripsit libellum de Numenii Plotinique dogmatum discrimine; vita Pl. p. 10.

[54]) Satis Plotinum tali crimine liberavit Longinus in epistola a Porphyrio allata. Idem in libro de fine adversus Plotinum atque Amelium conscripto, quamvis non paucas se illorum opiniones movisse et multis modis ab iis discedere profiteatur, multus est in laudanda Plotini diligentia et sagacitate, ad quam nullo modo accedere dicit Numenii aliorumque Platonicorum priorum scripta; vita Pl. p. 14.

cae[55]), (quam neque a Plotino neque ab Ammonio inventam esse, sed ex temporum desiderio et ipsius philosophiae processu enatam monitum est supra) sed non illi idem, quod Plotino, contigit, ut novae scholae princeps et auctor fieret, quapropter merito censeamus, minus eum dialectici operis fuisse peritum; et fuit profecto omni aetate eorum, qui maxime rudes essent philosophicae rationis, opinio, summos philosophos aliena pro suis venditasse, cum similem animadverterent veritatis formam in diversissimis systematis recurrentem, capti autem essent oculis, ne discrimina cernerent.

Jam restat, ut extrema dialecticae Plotinianae lineamenta describam et gravissima quaedam ejus capita percurram, ratione simul habita prioris philosophiae, praelusurus hoc opere expositioni, quam paro, universae Plotini philosophiae. Quo in munere hanc mihi proposui summam legem et regulam, ut ostenderem, philosophiam Graecam non in pejus abiisse Plotini laboribus, sed ad summum peractum esse fastigium, in hoc autem loco, cum jam apparuisset inter homines alma illa et divina veritas, quam anxie multi quaesiverant, alii desperaverant, Plotinus supra coelum et in intimos mentis recessus repulerat, non potuisse eam perstare, sed jam novum inchoasse cursum et circa Deum manifestum et reconciliatum coepisse moveri. Quanta autem veritatis copia lateat in scriptis Plotini levi ab ipso cura compositis et magna etiam nunc corruptelae mole affectis, recentiori demum aetate a paucis intellectum est, inter quos honoris causa nomino Creuzerum[56]), qui jam novam parat et multis modis emendatam Lycopolitani nostri recensionem. Quam largi fructus a diligentissima praeclari viri cura expectandi sint, jam ipse edito libro *de pulcritudine* ostendit[57]). Nec non

---

[55]) Longini de Numenio judicium comprobatur ipsis philosophi illius reliquiis, quas servat Eusebius in praepar. evangelica XI, 18. Ostendunt enim, eum non satis exercitatum fuisse dialectica arte ad novam philosophiae formam proponendam et valde a Plotini ratione discedere. Sic tres ille deos induxit, (primum Deum, mentem, mundum) qua rudi significatione numquam usus est Plotinus; ille otiosum ponit summum Deum, hic aeternam omnium rerum efficaciam esse docet, Enn. VI, 8, 12 — 21.; ille dissipari quasi putat materia mentem seu alterum Deum, hic mentem semper in se perstare dicit, animam videri quidem per mundum divisam, sed vere non dividi et unam manere, menti semper et Deo adhaerentem; (Enn. IV, 1, 2., et saepe;) ille Pythagoreorum vestigiis insistens materiam dyadem vocat, hic materiam omni vel quantitatis vel qualitatis praedicato carere asserit, (Enn. I, 11 — 13.) et dyadem omnemque numerum in mente demum exsistere, in libro *de numeris*, Enn. VI, 6.

[56]) Plotinum, quem per longam saeculorum seriem, exceptis Marsilio Ficino, homine immortalis memoriae ejusque ut Platonis interprete felicissimo, Petro Baylio, (qui in dictionario suo virtutem viri et mentem a rebus terrestribus avocatam valde miratur et Spinozismi principia sibi videtur in eo invenisse) et Cudwortho Anglo, (multa ille sagaciter disputat de trinitate Platonicorum in libro: *systema intellectuale*, vers. Moshemianae I, 631 — 736. et Plotini agnoscit ingenium, refragante Moshemio) aut neglexerant plerique aut minus intellexerant, resuscitare coepit et vindicare Creuzerus in *studiorum* ab ipso et C. Daubio editorum volumine primo, dissertatione sua de antiquorum scriptorum studio, philosophiae fundamento, p. 1 — 22., cui adjunxit librum *de natura, contemplatione et uno* translatum atque illustratum.

[57]) *Plotini liber de pulcritudine, ad codicum fidem emendavit et annotationem perpetuam adjecit F.*

agnoscent omnes harum literarum existimatores, quam bene de iis meritus sit VICTOR COUSINIUS, philosophiae inter Francogallos vindex, vulgatis ineditis quibusdam Procli operibus [58]), quae pretiosos nobis hujus scholae thesauros recludunt.

## Caput secundum.

### *Brevis dialecticae Plotinianae conspectus.*

Asperam viam ingreditur, cui propositum est, dialecticam Plotini per omnes quasi transitus et ambages cogitationum persequi; neque enim ille ita procedit, ut a simplicissimo quodam principio exorsus explicet, quomodo ex primariis notionibus aliae usque pleniores exoriantur et priores a subsequentibus recipiantur et quasi absorbeantur, simul autem serventur in iis et tanquam elementa, quae majoris notionis fines et latera constituant, retineantur; colligenda potius sunt ex tota librorum ejus mole dispersa dialecticae membra et in integrum corpus restituenda, et observandus ubique constans cogitationis progressus, quem inchoat saepe, sed numquam uno itineris tenore peragit atque absolvit. Attamen, nisi primo incepto absterremur, mirum in hac philosophia videbimus notionum connexum atque aequabilem et a summis ad infima descensum et ab infimis ad summa reditum; neque ullam veritatis rationem, a prioribus inventam, negligit illa, sed, quod semper fuit rectae philosophiae signum, suo quamque loco servat et novo omnes vinculo conciliat. Jam, ut fundamentum aliquod jaciam disputationi meae de simplicissimis notionibus a Plotino statutis, in conspectu ponam totum iter, quo mox procedendum erit, ita, ut jam descensum a summo in rerum naturam adumbrem, in quo nervus omnis consistit methodi Plotinianae, mox, cum ampliorem omnium problematum expositionem angusti hujus opusculi fines prohibeant, in primis dialecticae elementis secundum Plotinum explicandis subsistam, et ardua adscendentis rursus ad Deum viae initia peragrem.

Omnia Plotinus vult ad mentem reduci, in qua tota et plena sit veritas et omnis vitae fons. Nolimus igitur de mentis veritate quaerere [59]), nihil enim sine illa esset, neque

*Creuzer;* accedunt Procli disputatio de unitate et pulcritudine, Nicephori Nathanaelis antitheticus adversus Plotinum de anima, lectiones Platonicae maximam partem ex codd. Mss. enotatae, Heidelb. 1814.

[58]) *Procli philosophi Platonici opera, e codd. mss. bibl. reg. Parisiensis tum primum edidit et illustravit Victor Cousin;* Paris. 1820. primus tomus continet libros de libertate, providentia et malo, ex versione latina G. *Morbeckae*, secundus partem dimidiam commentarii in primum Platonis Alcibiadem.

[59]) Enn. V, 9, 3. ἴσως μὲν οὖν γελοῖον ζητεῖν, εἰ νοῦς ἔστιν ἐν τοῖς οὖσι.

ipsa haec quaestio et dubitatio sine impulsu quodam mentis poterat enasci; nec in sensibus origo et criteria cognitionis ponenda sunt, qui mente destituti nec communionem aliquam rerum nec ipsam diversitatem (ut quae discerni non possint et distingui, nisi certa sui tamquam cogitantis conscientia) possent agnoscere[60]). Haec autem una mens, cum omnem contineat veritatem, in varietatem sese evolvit, sibique, cum viva sit neque immota quaedam unitas, externum aliquid, tamquam *cogitatum*, opponit, et ita *cogitans* simul fit *cogitatum* et in aliud quasi transit, sed quod vere non ab ipso est diversum; utrumque vero *cogitatione* continetur, quae et ipsa est vera mens; universa enim totius mentis actio in cogitatione versatur. Sic illa *subjectum* simul fit et *objectum* sui[61]). Hac in mente omnium rerum exquiras ortum et prima semina; dum enim mens se sibi opponit, ipsa vera *est*, et *sunt* in eo omnia, ut perfecta cogitatio sit simul perfecta voluntas atque efficacia, cuncta ex se procreans[62]); et jam duplex habemus mentis seu cogitantis seu agentis principium; est enim mens cogitans simul *idem* et *alterum* agens *movetur* simul et *stat*, quare *motionem* in se continet et *statum*.[63]) Mens igitur est *omnia in uno*, vel, ut rectius dicitur, unum in multis conspicuum, ipsa immota manens. Sed, cum illa duplex sit et multitudinem cogitet atque ex se gignat, nondum vere una est, neque, in subjectum sui et objectum diremta, ab omni diversitate liberata; quare supra mentem extollamur necesse est ad ipsum bonum, cui ab omni aeternitate mens adhaeret, a quo gignitur et vim suam vitamque accipit[64]); hoc supra omnem multitudinem elatum servat omnes res, ne dilabantur, validissimum est unitatis in omnibus vinculum et vis omnia penetrans, recolligens et reconcilians, quaecunque in diversas partes et in discidia

---

[60]) Enn. V, 9, 4. ostendit, non ex perfecta anima mentem posse gigni, sed hanc illa priorem et veram ejus vim et naturam esse, disputans, uti videtur, contra Stoicos, qui naturae suae conscientiam et rationem hominibus naturali quadam necessitate ex appetitu animae efflorescere docebant. Diog. VII, 85. 86. Enn. V, 3, 2. sagacissime exponit, quomodo jam in primis rerum imaginibus a sensibus receptis et animae impressis intellectus ex mente redundans operetur, et colligendo discernat, ut formentur notiones; unde sequatur, nullam esse sensuum actionem a mente et cogitatione avulsam.

[61]) Enn. V, 3, 5. *ἓν ἅμα πάντα ἔσται νοῦς, νόησις, τὸ νοητόν.*

[62]) Enn. VI, 8, 4. *τὸ αὐτὸ τὸ εἶναι ἐκεῖ καὶ τὸ ἐνεργεῖν.* Enn. VI, 7, 2. *ἐκεῖ δ' ἐν ἑνί πάντα,* (sic cum Ficino legendum) *ὥςτε ταὐτὸ τὸ* (vocula haec, quae in edit. Basil. excidit, addenda) *πρᾶγμα καὶ τὸ διὰ τί τοῦ πράγματος.*

[63]) Exponit hoc Enn. V, 1, 4. et subtilius VI, 2, 6 — 8., Platonicis in Sophista vestigiis insistens, (p. 254 — 56.) nisi quod ex ipsa mente haec summa rerum principia repetit, quae ex diversis *entis* notionibus, ab Eleatis et Heraclito propositis, Plato invenerat.

[64]) Mentem a Deo ab aeternitate *gigni* docet Enn. V, 1, 6., sed symbolicam hanc esse formulam et omnem temporis imaginem removendam, ut talia concipiantur mysteria, disertis verbis monet; propius ad christianam doctrinam accedens Enn. VI, 8, 20., Deum semet ipsum quasi facere dicit, et ibidem c. 15. egregie Deum *aeternum sui ipsius amorem* vocat.

abire cupiunt; *unum* hoc nuncupamus et *bonum*, quamvis non valeat lingua ad immensam ejus naturam exprimendam. Bonum neque *est*, cum, quae esse dicantur, diversitatem aliquam subjecti et praedicati in se habere videantur, neque *cogitat*, quid enim cogitet, nisi se ipsum[65]? non est *unum aliquid*, neque *omnia*[66]), sed *supra omnia*; nullum habet locum, sed est *ubique*[67]); non est *maximum*, cum nullam admittat comparationem; est autem inexhaustus mentis et vitae fons, omnia libere ex se dimittens,[68]) nec *finitus*, nam quis eum finis capiat? neque *infinitus*, omnia enim moderatur et continet;[69]) summa est et perfecta voluntas, imo supra voluntatem ipse et libertatem elatus, in quem boni malive eligendi arbitrium non possit competere;[70]) centrum denique est omnis rerum universitatis, et aeterna virtutis et divini amoris origo, circum quam omnia moventur et feruntur, ad quam omnia diriguntur et recurrunt, ex qua ipsa mens conscientiae suae et cogitandi semper capit initium. Hic autem summus Deus non est supra omnia coela remotus, sed propinquus nobis, dummodo pura sinceraque mente amplectamur eum;[71]) sumus in eo et vivimus, et, remo-

---

[65]) Deus, cum sit omnis desiderii expers, nihil potest cogitare nec cognoscere; causam luculentissime affert Enn. V, 3, 10. πόθος τις καὶ ἡ γνῶσίς ἐστι, et in capp. sequentibus copiosius in hunc campum exspatiatur.

[66]) Enn. III, 8, 8. οὐ γὰρ ἀρχὴ τὰ πάντα, ἀλλ' ἐξ ἀρχῆς τὰ πάντα, αὕτη δὲ οὐκέτι τὰ πάντα, οὐδέ τι τῶν πάντων, ἵνα γεννήσῃ τὰ πάντα, — οὐδέν ἐστι τῶν πάντων, ἀλλὰ πρὸ τῶν πάντων. Ostendit h. l. quam inepte dicatur, *Deum omnia esse*, cum rerum omnium principium non possit simul in omnibus exstare, neque aggregatum aliquod ex omnibus esse. Tanta cum cura studuit, ut *pantheismi*, quem dicunt, suspicionem devitaret, neque subtiles istas et intricatas quaestiones a se removit, ne indignius de Deo loqui videretur; nihilominus in illum quoque conjectum est pantheismi opprobrium, quo semper rudes harum rerum judices persequi consueverunt veros philosophos, qui Deo intus agitante divina in universis rebus vestigia monstrare instituerunt.

[67]) Οὐκ ἔστιν ὅπου μή ἐστιν, (ἡ ἀρχή) εἰ γὰρ μή ἐστιν, οὐκ ἔχει, εἰ δὲ μὴ ἔχεται, οὐκ ἔστιν, ὥστε ἔστι καὶ οὐκ ἔστι (sc. πανταχοῦ) — ὅσα δὲ μήπου, οὐκ ἔστιν ὅπου μή Enn. V, 5, 9. Sagacissime ita absoluta, uti dicimus, negatio in absolutam affirmationem transit. Est haec Scholasticorum ista *nullibitas* atque *ubiquitas*.

[68]) Enn. VI, 8, 19. dicit: αὐτὸς οὐχ αὑτῷ ἐποίησε τὴν οὐσίαν, ἀλλὰ ποιήσας ταύτην ἔξω εἴασεν ἑαυτοῦ. Verbum, quo utitur, ἐᾶν, liberum significat mentis et rerum omnium statum, et hoc quoque contra eos asserit, qui creatas res cum creatore confunderent. Similiter ibidem c. 12. *liberator* omnium rerum dicitur.

[69]) Enn. V, 5, 10. Οὐδ' ἄπειρος ὡς μέγεθος (praeferrem μεγέθει) — τὸ δ' ἄπειρον ἡ δύναμις ἔχει, i. e. infinita ejus est in creando potentia. Enn. V, 3, 14. nullam omnino Dei esse cognitionem audacter pronuntiat, et quidquid de eo dicatur, simul non dici; καὶ γὰρ λέγομεν ὃ μή ἐστιν, ὃ δέ ἐστιν, οὐ λέγομεν. Dicere potuit philosophus, hanc audaciam excusaturus, verum nobis Deum in mente, pulcritudinis omnis et virtutis sede, adorandum esse; sed cum in mente acquiescere non posset, ne aliquam mundi cogitationem ponere videretur in Deo, communi antiquae religionis vitio succubuit, quod Deum inaccessum finxit et in varietate tantum rerum conspicuum. Quanto rectius in christiano dogmate tres, quas vocant, divini numinis personae universam quaeque Dei manifesti vim et naturam ostendunt.

[70]) Enn. VI, 8, 13. humano more locuturus dicit: ὡς ἐβούλετο, οὕτω καί ἐστιν; vetat autem Deum

tis sensuum et ipsius cogitationis vinculis, liberi evolamus ad puram ejus contemplationem et quasi visionem, ut nascatur ille in nobis et supra omnem rerum numerum, imo supra rationem et mentem extollat nos et totos secum conjungat [72]). Rerum autem natura, quae tota e mente exsistit et in Deo pendet, cum sine varietate esse nequeat, magnum deinceps percurrit graduum numerum, et finitur tandem communi *materiae* termino, [73]) citra quam nihil potest neque esse neque cogitari; numquam vero materiam illam adspicimus, sed, mentis et oculorum aciem refugiens, [74]) ubique cernitur *forma* correpta et domita, et bonum adspirans in unitatem cum eo coire cupit, [75]) et sic, cum forma desuper veniens non omnem materiam eadem ratione potuerit effingere, ab imperfectis in natura rebus, quae in infinitam multitudinem distracta nulla fere unitatis imagine copulantur, [76]) ab elementis diffusis per omnia animaque carentibus, [77]) a plantarum generibus vegetali anima instructis, [78]) et animalibus sensuali anima et umbra quadam cogitationis praeditis [79]) usque ad hominem,

---

liberum sui dominum vocare, quod sufficientia divina esset indignum; c. 21 Deum meram esse et puram voluntatem adjicit.

[71]) Enn. VI, 9. *Οὐχ ἄπεστιν οὐδενὸς ἐκεῖνο, καὶ πάντων δὲ, ὥστε παρὼν μὴ παρεῖναι.* *Praesentiam* (*παρουσίαν*) divinam supra omnem scientiam et cognitionem statuit summum divinae conscientiae fontem; hoc ex intima graecae religionis atque artis medulla sumtum est, cujus ritus omnes atque opera Deos exhibent *praesentes*, i. e. sive animi sive corporis oculis visos, nulla interveniente intelligentia.

[72]) Enn. VI, 8, 16. mentem divino lumine expergefactam *ὑπερνόησιν* vocat, et supra se ipsam ad Deum dicit escendere; similiter anima, Deum quaerens, ad visionem ejus pervenit *θίξει* quadam, (Enn. V, 3, 10.) et supra omnem notionem atque appetitum elata in Deo moratur, et in illo veram invenit quietem suique conscientiam. (Enn. VI, 9, 11.) Multus est Plotinus in fingendis vocibus, quibus hanc mysticam unionem indicet; dicit *ἅπλωσιν, ἐφαρμογήν, ἐπίδοσιν ἑαυτοῦ, ἔφεσιν πρὸς ἁφήν, ἔκστασιν*, qui est ultimus exaltationis gradus.

[73]) Necessitatem materiae ita evincit, ut ostendat, ultimo quodam opus esse, ultra quod mens non possit progredi, Enn. I, 8, 7.

[74]) Inveniri dicit materiam, dum ab omnibus rebus abstrahamur, et *tenebras* quasi *videre* conemur, Enn. II, 4, 10.

[75]) Materiam, si sensum admitteret, summo cum dolore formam esse appetituram, et ipsum malum pungi quasi desiderio, in bonum redeundi, pulcerrime dicit Enn. VI, 7, 28.

[76]) VI, 7, 11.

[77]) Ibidem elementa tria ubique diffusa et fluentia, ignem, aerem, aquam minus perfecta videri et animata dicit, quam terram, quae animae et unius majorem partem habeat.

[78]) *Τὴν φυτικὴν ψυχήν*, i. e. vitam generantem omnia suique nondum consciam et terram astraque coelestia permeantem, propriam in plantis sedem habere cognoverat IV, 4, 27.

[79]) Sensum primum vidit conscientiae initium ejusque quasi cardines *gaudium* et *dolorem*, irritamentum vero *impetum*, (*ὀργήν*) et hanc animalium esse conditionem, IV, 4, 18 — 20., ubi *amoris* quoque et *odii* originem ponit in anima sensuali.

qui totum quasi mundum intellectu et ratione in se continens [80]) divinae mentis ope ad summum bonum ascendere potest, una permeat efficax mentis vis, et innumeram gignit *notionum* (λόγοι) singulis rebus earumque generibus insitarum varietatem, [81]) quae omnes boni summi idea aut vere agnito aut aliunde accepto [82]) reguntur et moventur. Haec efficax mentis vis, quae numquam a mente avulsa descendit quasi in materiam ubique dispersam et omnia ad divinam imaginem, quatenus haec singulis locis recipi potest, [83]) efformat et perficit, *anima* est, naturae procreatrix et moderatrix, notionum cunctarum complexus [84]). Jam in externo mundo, materiae finibus adstricto, diversa apparent notionum principia ac genera, quae in mente denique conjunguntur et ad summas referuntur universalesque cogitandi et vivendi leges. Quare dialecticae veri explorationi satisfacere non possunt categoriae rerum a prioribus philosophis propositae, sive decem cum Aristotele statuas, sive cum Stoicis quatuor; vincula enim sunt atque impedimenta liberae et sublimioris contemplationis, quibus superatis demum divina mentis veritas illucescet nobis [85]). Attamen progredientes in cogitatione primarias quasdam inveniemus rerum terrestrium notiones, quas recipere debet philosophia et perscrutari, sed non plenam in iis et totam veritatem quaerere, cum in mente aut nulla sint aut homonyme tantum ibi ponenda, [86]) et distinenda semper probeque discer-

---

[80]) Diversas animae vires et functiones in singulos naturae ordines dispersas in animo humano conjunctas esse et mente contineri exponit IV, 9, 3.

[81]) Ipsam animam λόγον dicit et in infinita singularum *notionum* (λόγος est Plotino notio non solum mente concepta, sed per animam in natura efficax, et unaquaeque in universo res suam habet insitam sibi notionem, qua cum mente cohaeret) multitudine sese exserere dicit IV, 3, 5. Hanc vero omnia procreantem mentis notionem ex illa negat *exire*, ne emanationem, qualem finxerant gnostici, admisisse videretur VI, 2, 21. — Receperat Stoicorum λόγους σπερματικούς, sed ipse e summa mente eos repetit et inferiorem iis, quam illi, locum adsignat.

[82]) Rebus in infimo gradu positis aliunde venire bonum dicit, ut materiae formam, neque ab iis bonum cognosci, VI, 7, 27 — 28.

[83]) Cum corporum natura dispersa sit materia, non omnia eodem modo bonum recipere ostendit VI, 4, 11.

[84]) Mentem dicit in summo universi apice, velut in pyramide quadam, constitutam esse VI, 7, 15.

[85]) VI, 1, 1. omnes reprehendit, qui *categorias*, sive prima notionum per se consideratarum (Ar. categ. c. 4.) genera statuant, nullo rerum sensibilium atque intelligibilium discrimine; has enim, quae maxime sint, (τὰ μάλιστα ὄντα) nec omitti debuisse nec generibus, quibus illas complectimur, coerceri posse. Neque, si categoriis utamur tantum ad res hujus mundi definiendas, in iis acquiescere dicit contemplationem, sed rationem eorum atque originem velle intelligere, cum intellectus quidem genera discernat, mens autem et vera scientia conciliet, VI, 2, 21 et genera omnia, cum ex singularum rerum complexu enascantur, unam et immixtam veritatem non ostendere VI, 3, 1.

[86]) Paulo aliter utitur Plotinus vocabulo ὁμώνυμος, quam Aristoteles; transfert enim illius definitionem, *homonyma* esse, quae nomine, non re, conveniant, (categ. c. 1.) ad talia attributa, quae, veluti *ens* et *unum*, de rebus aeternis et mortalibus diverso sensu praedicentur; jam vero aliquam eorum communionem atque *analogiam* statuit, et ita *homonyma* dicit, quae metaphorice seu per μετάληψιν a mente ad corpora transferantur; cf. VI, 2, 10. 3, 1.

nenda in philosophando, quae hujus sint mundi, quae illius; [87]) quod non ita vult intelligi, quasi nihil cum illo nobis commune esset; arctissimo uterque mundus nexu cohaeret, neque umquam unus ab altero potest dissidere, sed res terrestres firmas sui radices habent in mente, unde enatae semper in illam redeunt, et summum est dialecticae opus, hanc naturalem quasi dialecticam, quae singulas res, caducas in se atque infirmas, Saturni more semper devorat, [88]) semper ex plena mentis vita restituit, ratione persequi et ostendere, quomodo genera rerum in aeternam mentis naturam recepta firmentur ibi et servato discrimine conjungantur [89]). Gnosticorum contra erat, ducto quasi muro hunc mundum ab illo separare, [90]) et, dum sibi solis gratiam divinam arrogant, praestantissima vitae bona fraudes et mendacia dicere [91]). Ponit igitur quinque summas intelligibilis mundi notiones, *ens*, *motum*, *statum*, *idem*, *alterum*, quae, ut supra vidimus, divitem plenamque mentem constituunt, indeque in mundum sensibilem redundant et ubique materiae vestigia et imagines sui imprimunt [92]). Quare summa ut illius ita hujus mundi notio est ipsum *ens*, quamquam vero et augustissimo sensu de mente tantum praedicatur, rebus terrestribus non vere inest, sed foedere quasi et societate cum mente inita cum iis communicatur [93]). Uti autem ipsum verum ens *unum*

---

[87]) Alia igitur rerum terrestrium, alia mentis elementa statuit, et haec in secundo, illa in tertio sextae Enn. libro copiosius definit.

[88]) Ingeniosissime mentem cum Saturno comparat, (V, 1, 7.) qui liberos suos devoratos secum tulerit, ne Rheae i. e. materiae traderet educandos. Reconditum hujus fabulae sensum ponit in mentis natura, quae omnes suas notiones libere semper in se contineat, ne in infinitum excidant. — Ludit hic, ut III, 8, 10. in voce *κόρος*, qua mentis *satietatem* indicat, et simul pulcerrimum Dei filium (*μονογενῆ*, Plato Tim. in fine) per imaginem eam vocat.

[89]) Mentem saepissime dicit omnia ita in se continere, ut nec dilabantur nec confundantur, et simul simplicissimam esse et omni rerum varietate repletam. Cf. III, 2, 21. *ὁ νοῦς ἓν καὶ πολλὰ, καὶ ταῦτα δὲ δυνάμεις.* V, 3. *οὐκ ἔχων ἀλλ' αὐτὸς ὢν ταῦτα.* V, 2, 2. 9, 6. (*Der Begriff ist das schlechthin Concrete, Hegel Encycl. der phil. Wiss. p.* 158.)

[90]) II, 9, 3. Plotinum contra audiamus V, 9, 13.: *Οὐκ ἔν τινι τόπῳ ἀφωρισμένα ἐκεῖνα· ὁ μὲν γὰρ αἰσθητὸς κόσμος μοναχοῦ, ὁ δὲ νοητὸς πανταχοῦ*, et IV, 3, 34. *ζητῶν (ἐκεῖνα) ζήτει μὴ τοῖς ὄμμασι, μὴ δ' ὡς ζητῶν σώματα.*

[91]) II, 9, 9. Gnosticos animam mundi et ipsam mentem contemnere dicit, cum veritatem nusquam in mundo agnoscant et divina in rebus vestigia nolint intelligere.

[92]) V, 3, 10. *ἕκαστον τῶν νοουμένων συνεκφέρει τὴν ταυτότητα ταύτην καὶ τὴν ἑτερότητα.*

[93]) Recipit Platonicas voces *μέθεξις* et *μετάληψις*, quibus significet, res mortales partem aliquam et societatem aeternarum habere; idem minus accurate *μίμησιν* dixerant Pythagorei, cum hic mundus imitatio quaedam sit coelestis rerum ordinis. Aristoteles utramque vocem rejecerat, ut a philosophica veritate alienam; (metaph. I, 20. Brandis) sed omnem ab hoc usu offensionem removet Plotinus, identidem monens, mentem et unum ubique tota adesse, non in partes dispersa, neque res ita eorum esse participes, uti numeri partem habeant unitatis eaque sola numeri fiant, V, 2, 2. VI, 4, 11, et saepius.

est, et, cum sit in se diversum, veram sui rationem in *uno* habet, ita omnes res unius seu summi boni gerunt effigiem et ad unum variis modis accedunt [94]). Jam, quae in hoc mundo *entia* vocamus, elementa sui habent *materiam* et *formam*, et, cum utraque per se sit infinita neque una possit sine altera esse, conjunctam utramque tamquam tertiam sui partem (συναμφότερον) recipit ens, et fit *substantia*, (οὐσία) quae est totum aliquod necessariis partibus compositum [95]). Hanc primam ponamus rerum terrestrium categoriam, ut habeamus fundamentum, cui reliquos ordines superstruamus. Immanens autem mentis vis, quae, in Deo fixa eumque semper intuens, ad conscientiam sui excitatur et varias res incipit cogitare, *numeros* procreat, [96]) quorum lex et regula est *quantitas*, ejusque mensuris totam materiam formae subditam distribuit [97]). Nihil autem valet quantitas ad rerum indolem ac naturam definiendam, cum vacua sit atque inanis notionum forma, quare non est necessaria substantiae pars, sed *accidentalem* tenet locum [98]). Tum multa videmus et innumera in mundo sensibus obvio singulis rebus propria, quae non ipsam rei notionem videntur constituere, sed aliunde accessisse ad substantiam jam constitutam, ideoque in *qualitatis* ambitum rediguntur; sic praedicata, quae dicuntur, *accidentalia* secundum in categoriis locum tenent et aut qualitati aut quantitati accensenda sunt. Docet autem rerum natura diligentius considerata, has accidentales quoque definitionum partes ad explendam notionem pertinere, et in mente sublatum esse substantiae et qualitatis discrimen [99]).

Porro efficax illa mentis vis est *motus*, qui, in rebus terrestribus sese exserens, aut vim iis inspirat vitalem, qua ipsae moveantur, aut ita eas comparat, ut alieni motus possint esse instrumenta; haec est tertia *motus* categoria, et, cum in infinitum progrediens simul

---

[94]) Varios essentiae gradus ita ponit, ut minimam ejus partem habeant res non animatae, majorem animatae, maximam pura mens et qui in ea vivant homines; alii sunt unitatis gradus; longissime enim a vera unitate distant notiones collectivae, (ut *exercitus*) quas intellectus format, propius accedunt, quae (ut *domus*) loco continua sunt, proxime, quae dividi nequeunt, i. e. anima et mens, III, 2, 11. VI, 6, 13. Praeiverat Aristoteles metaph. IV, p. 99. IX, 192. Br.

[95]) VI, 3, 7.

[96]) VI, 6, 9. hunc numeri ex uno quasi partum Pythagoricorum more sub imaginibus proponit.

[97]) VI, 3, 11 — 15.

[98]) Quare geometriae negotium in qualitate definienda versari negat, (contra Aristotelem, qui figuras qualitati accenset) sed in quantitate totam occupari, in qua sola aequalia sint atque inaequalia, VI, 3, 14.

[99]) VI, 3, 8. ubi dicit, in rebus sensibilibus servandum esse discrimen substantiae atque accidentis, καὶ οὐ δυσχεραντέον εἰ τὴν οὐσίαν τὴν αἰσθητὴν ἐξ οὐκ οὐσιῶν ποιοῦμεν. Uno quasi fulmine haec verba videntur obscurum fabulosi *non-entis* locum illustrare; expellunt enim a mente, et in imperfectas rerum visibilium et mortalium notiones rejiciunt. — Singularem scripsit libellum de *essentia et qualitate*, II, 6.

quolibet temporis momento sibi finem aliquem et terminum ponat, quem jam est egressura, hoc ipso processu *magnitudinem* efficit, ambiguam per se atque infinitam notionem [100]). Sunt autem tria motus genera, *motus localis*, *mutatio*, (ἀλλοίωσις) *conversio*, (μεταβολή) conjunctim semper cogitanda, [101]) et duplex est ejus functio, *agi* et *pati*, duplex pars, *vis* et *efficacia*, quae, in mente numquam diversae, in mundo externo discedunt [102]); neque in hoc verus est status, sed, cum perpetuo omnia fluxu moveantur, *quietem* tantum animadvertimus, quam falso statum putamus [103]).

Cum vero omnis motus in agendo positus sit, et, quod pati dicitur, actum, quo ipsum movetur, in rem agentem repellat, ut mutuus fiat virium conflictus, unus causalis necessitatis nexus res omnes sensibiles continet, cujus summa forma est *relatio*, et hanc quartam invenimus categoriam [104]); mens autem supra hanc infinitam causarum seriem et catenam elata ipsa aeterna est sui causa [105]). Denique motus ex mente sese diffundens efficit *tempus*, aeternitatis imaginem et summam ortus atque interitus legem [106]), et perpetuo suo progressu omnia percurrente omnemque materiam formis replente *locum* ubique definit, in quo quidque possit perstare [107]). Hanc quintam Plotinus ponit *loci* et *temporis* categoriam, (tertio quidem loco nominat eam, VI, 3, 3. dicit autem aliis permultis locis, motum tempore esse priorem) sed neque hae ipsae notiones, cum in infinitum excurrant, in liberam mentem nec in ani-

---

[100]) Sagacissime hoc exponit VI, 6, 3. magnitudinem docens ex infinito exsistere, quod fines et terminos semper fugiat, semper injectis quasi terminis capiatur et ita *numeros* et *modos* gignat.

[101]) Platonem secutus, qui duo statuit motionis genera, περιφοράν et ἀλλοίωσιν, (Theaet. 181.) sed numquam a se disjuncta; VI, 3, 21.

[102]) Hanc quoque materiam tractavit in opusculo seorsim edito de *potentia et efficacia*, II, 5. Multum in hoc utilissimo dogmate Aristoteli debet. Cf. VI, 3, 22. 23. 8, 4. φύσις (τῶν νοητῶν) οὐδὲ τὸ δυνάμει ἔχουσα ἄλλο, ἄλλο δὲ τὸ ἐνεργείᾳ.

[103]) VI, 3, 27 dicit, res apparentes numquam desinere moveri, sed, cum videantur stare, *quiescere* tantum, motu aut retardato aut aliqua parte impedito, quare ἠρεμίαν iis, non στάσιν, adsignat; sic perpetuum Heracliti motum in corporibus retinet, (cf. VI, 3, 2.) statum vero Eleatarum in mente invenit.

[104]) VI, 3, 22. In epilogo hujus libri quatuor proponit relationis species, summam autem et veram relationem dicit τὴν ποιητικήν, quae partes sui habeat causam et effectum; cf. VI, 1, 6. omnes autem intellectus notiones *relativas* quodammodo esse ostendit 1, 12. seqq.

[105]) Neque casum nec necessitatem in libera mente relinqui docet VI, 8, 7. ἑαυτοῦ (ὁ νοῦς) καὶ οὐδενός.

[106]) Tempus aeternitatis esse imaginem et efficaciam animae ab uno in aliud transeuntis, neque extra animam esse tempus, sed in continuo ejus per corpora motu et tractu oriri dicit in libro de *aeternitate et tempore*, III, 7, 10. Platonis in Timaeo (p. 38.) locum interpretans.

[107]) Non ipsam materiam locum esse evincit II, 4, 11. sed, priusquam formari possit, illum, tamquam rerum omnium substratum, recipere.

mam cadunt, quae certo non inclusa loco ipsa potius verus est corporum locus, et sine omni tempore vivit in aeternum vigetque [108]). Itaque, quaecunque oculis conspicimus, duplicem habent vitae legem, *mentem* et *necessitatem* [109]), omnibus infixa est et insculpta coelestis origo, cujus signa numquam possunt deleri; mens autem ipsa suprema lex est et domina necessitatis. Perfectissime autem in homine tota naturae series conjuncta est [110]); ejus quoque anima coelesti menti adhaeret et revocatur ad conscientiam sui et ad restituendam dignitatem, a qua anima in singula corpora intrans recessit [111]); quare et ipsa in libertatem a casu et a fato vindicari potest, si pio ardore virtutem amplectitur et, sibi ipsi vivere desinens, in unitatem redit cum universa aeternaque mente et cum summo bono. Mentem intuens ad veram quoque scientiam pervenit, quae excitatur quidem humana cogitandi ratione, sensu, memoria, deliberatione, (*διανοήσει*, quae venit hominibus *διὰ νοῦ*) syllogismis, et tota logica arte, sed relictis illis tirociniis omnia desuper conjuncta simul et discreta prospectat [112]). Inde ad visum Dei progreditur, in quo omnem invenit vitae felicitatem [113]). Sic tota natura quieta quaedam

---

[108]) Difficilem de anima corpori conjuncta quaestionem ita solvit, ut non animam dicat in corpore, sed corpus vere in anima habitare; illam enim non in certo quodam loco esse, hoc locum suum servare non posse, nisi anima contineatur, IV, 3, 20. V, 2, 2. Utitur hac in re formulis: *ψυχὴ πάρεστι τῷ σώματι, οὐκ ἔνεστι*, et *μεριστή ἐστι διὰ σωμάτων καὶ ἀμέριστος, καὶ ἀμερίστως μερίζεται*, IV, 1.

[109]) I, 8, 7. *μεμιγμένη ἡ τοῦδε τοῦ κόσμου φύσις ἔκ τε νοῦ καὶ ἀνάγκης*. Platonica erat sententia, Tim. p. 48.

[110]) IV, 4, 17. naturam hominis celebri Platonis imagine cum civitate comparat, in qua summa sit ordinum et munerum varietas; neque vero cum illo perfectam statuit reipublicae formam eam, ubi pauci regnent optimi, sed unum summum, ut philosophiae, ita civitati et menti praeponit principium; *ἓν τὸ ἄρχον, καὶ παρὰ τούτου εἰς τὰ ἄλλα ἡ τάξις*. — Alia usus metaphora duas dicit in homine affines urbes esse, *τὴν ἄνω καὶ τὴν κάτω πόλιν*, illi autem principatum esse reddendum.

[111]) *Τόλμαν* vocat singularum animarum originem et errorem quendam a patria domo, in quam ut redire vellent exhortatur loco praestantissimo V, 1, 1.

[112]) Veram hominis naturam libertatem esse perspexerat Plotinus, nec philosophia ejus, nisi a plerisque perperam fuisset intellecta et male perversa, adjuvare debuit superstitionem, sed repellere. Reprehendit in Plotino *Julius Firmicus Maternus*, superstitiosus homo, (in libro primo matheseos pag. VI.) quod *nihil potestati stellarum, nihil fatorum necessitatibus tribuens, totum dixerit in nostra positum esse potestate, et ita se ratione fatali sorti subtraxerit.* Cf. Fabr. bibl. graeca V, p. 695 — 96. Reddidit potius naturae, quae necessitatis, menti seu vero homini, quae libertatis essent. — Cogitationem hominibus sapientiae esse initium et primum purae mentis actum, in quo *τὸ καθ' ἑαυτὸν καὶ τὸ ἄϋλον* cernatur, agnoscit V, 1, 10. et saepius, sed ipsam mentem adjicit supra humanas *providentiae* et *deliberationis* formas elatam esse, VI, 7, 1.

[113]) V, 1, 3. *Ἀνάβαινε πρὸς ἐκεῖνον, (τὸν θεόν) πάντως που οὐ πόῤῥω βαλεῖς, οὐδὲ πολλὰ τὰ μεταξύ*. — IV, 7, 10. immortalitatem animae certissimam esse et nulli dubitationi obnoxiam dicit, cum sit illa Deo *ὁμοούσιος*.

et placida est animae in mentem demissae ab eaque pendentis *contemplatio* [114]), et, quidquid natura agit, in contemplationem recurrit [115]), uti in mente cogitatio non diversa est ab actione. Hoc autem lumine collustratam universam rerum naturam Dei plenam cognoscimus, et, dum suo quidque loco perstat, omnia gradatim in perfectiorem statum transeunt [116]); omnia vero suo loco perfecta sunt, et, dum summo mentis consilio inserviunt, suum omnia habent praescriptum finem, quem simulac singula assecuta sunt, excedunt quasi mundi theatro et, generibus rerum servatis, locum aliis relinquunt [117]). Et sic fastigium polytheismi ascenderat philosophia Plotiniana; cum enim Graecis ex infinita et immensa naturae vi et mira pulcritudine, quam libera quadam et aeterna mente agitari obscurius senserant, innumera extitisset deorum multitudo, non poterant in varietate rerum unam pulcerrimam mentem dispicere; jam vero Plotinus totum deorum coctum ex natura in mentem traducit, et mentem, cum ubique habitet, omnia dicit diis replere [118]); et hoc modo fieri potuit, ut per aliquod tempus antiquus deorum cultus no-

---

[114]) Πάντα τῆς θεωρίας ἐφίεσθαι summam naturae legem ponit III, 8. ab init. Varius vocis θεωρία, si actum aliquem mentis significat, usus manare videtur ex uno fonte, ut sit *contemplatio*, quae nondum, ut ὅρασις, oppositum sibi habet, quod conspiciat, neque, ut διάνοια et λογισμός, logica quadam discursione (διέξοδον vocat Plotinus) utitur, neque, ut γνῶσις et ἐπιστήμη, claram et certam habet rei cognitionem, sed tota et uno quasi obtutu in re aliqua defixa, cujus nondum nacta est visum, cernere eam cupit. Egregie igitur placidam suique parum consciam naturae contemplationem, i. e. insitam ei, qua regitur, ideam significat. Docte de vocabuli hujus etymo et usu disputat Creuzer in *studiis* 1, p. 63 — 72. — Hanc cognitionis scalam ponit Plotinus: θεωρίαν ubique diffusam, αἴσθησιν, quae in animalibus primum excitetur, λογισμόν, actum intellectus, homini proprium, διανόησιν, cogitationem, quae plane a rebus sensibilibus avulsa omnes revocat ad mentis legem, ἐπιστήμην, veram mentis scientiam, quam levi discrimine vocat νόησιν et γνῶσιν, ὅρασιν denique, ipsa scientia superiorem. Similiter Paulus, 1. Cor. XIII, 10. ὅταν δὲ ἔλθῃ τὸ τέλειον, τότε τὸ ἐκ μέρους καταργηθήσεται.

[115]) III, 8, 5. ἀνέκαμψεν ἡ πρᾶξις εἰς θεωρίαν.

[116]) Sublimis ille locus Paulinus (Rom. VIII, 20 — 23.) de rerum omnium creatarum dolore, donec mortalem statum egressae in hominis Deo placati libertate absolvantur, eandem videtur naturae imbecillitatem et quasi contemplationem pronuntiare. Haec est ἀσθένεια illa, de qua loquitur Plotinus II, 9, 16.

[117]) Amat cum *choro* comparare rerum naturalium complexum, in quo omnia locum suum teneant sapienter disposita, dum fabula haec mundi agatur. — Egregiam mundi cum dramate comparationem legimus III, 2, 17. ex intimo Graecorum ingenio repetitam, quibus tragicum poeseos genus vera erat vitae humanae ejusque imbecillitatis morte demum tollendae imago.

[118]) IV, 3, 11. vindicat veterem persuasionem de deorum multitudine et in templis praesentia, cum anima totam naturam diis repleat, et statuae deorum, speculi instar, aliquam divinae naturae speciem reddere possint. Mentem autem adjicit verum esse summi Dei interpretem, cum omnia Dei partem habeant, ipse autem in hunc mundum non descendat. — Cf. V, 8, 9. ἕκαστος (θεός) πάντες, συννόντες εἰς ἓν καὶ ταῖς μὲν δυνάμεσιν ἄλλοι, τῇ δὲ μιᾷ ἐκείνῃ τῇ πολλῇ πάντες εἷς, μᾶλλον δὲ εἷς πάντες.

rum nancisceretur splendorem, novo quodam inauditoque enthusiasmi fervore animos perculleret; videbatur enim haec philosophia conservare et illustrare, quae Graecorum ars atque ingenium pulcerrima sui monumenta protulerat.

Sed nulla arte umbrae poterant in vitam revocari, et omnipotens veritatis vis, quae templa deosque Graecorum evertit, hunc ultimum quoque Graeci ingenii florem decerpsit, ut ex turbida publicarum sacrarumque rerum confusione pura evangelii lux et universi mundi salus posset enasci. Non procul aberat ab hac veritate Plotinus, et, nisi gravissimis testimoniis fidem denegemus [119]), jam aliquas christianae doctrinae scintillas recepit ex Ammonii eruditione, qui, juvenis a parentibus ea imbutus, vir ad patrios deos relapsus erat. Sed, cum Plotinus nec vivum admitteret nec sui conscium Deum [120]), et supra cognitionem omnem scientiamque et actionem extolleret Dei visionem, accidit ipsi, quod minime omnium voluit, ut Deum a mortalibus removeret, et profanum hominum vulgus, tali visu indignum, a salutari cognitione et felicitate arceret. Haec erant insita huic philosophiae mortis initia, et ita Plotinus, qui Deum omnis invidiae expertem pronuntiaverat [121]), invitus quasi aditum veritatis, cujus jam limina tetigerat, obstruxit omnibus, qui sequi conarentur [122]). Jam vero mentem statuens aeternam sanctissimamque Dei efficaciam in eaque omnem deorum complexum ponens, aeternum numen dissipavit et animos a recondito patre abstractos ad pristinos errores et ad deos in natura ubique viventes repulit. Attamen veneremur eum veritatis, quam non totam vidit, praeconem, memorabile de eo Aurelii Augustini testimonium reputantes; dicit enim christianus hic philosophus in libro classico et verae eruditionis pleno *contra Academicos p.* 455. *Basil. III*, 18. *Os illud Platonis, quod in philosophia purgatissimum est et lucidissimum, dimotis nubibus emicuit, maxime in Plotino, qui Platonicus philosophus ita ejus similis judicatus est, ut in hoc ille revixisse putandus sit.* Idem ecclesiae pater in epistola sua ad Dioscorum (ep. 56. p. 269.) Plotini scholam Romae multos acutissimos et solertissimos viros habuisse condiscipulos testatur, eorumque aliquos cognoscentes, Jesum Christum ipsius veritatis et incommutabilis sapientiae, quam conarentur attingere, gestare personam, in ejus militiam transiisse.

---

119) Cf. Fabric. bibl. graeca V, 701 — 3. Brucker hist. phil. 205 — 11. Plurimum valet Porphyrii testimonium apud Eusebium, hist. eccl. VI, 19. Ipsum Eusebium et Hieronymum, (catal. S. E. c. 55.) qui dicerent, Saccam usque ad mortem in christiana doctrina perseverasse, cum seriori ejusdem nominis praeceptore ecclesiastico confudisse ostendit *Fabricius* l. l. Cf. *Neander* hist. eccl. I, p. 1183.

120) Mythum de Coelo potentia privato a filio Saturno ad deum supremum in mente efficacem transfert V, 8, 13.

121) II, 9, 17. ὅτι μὴ θέμις φθόνον ἐν τοῖς θεοῖς εἶναι. Cf. Arist. metaph. I, p. 8. Br. οὔτε τὸ θεῖον φθονερὸν ἐνδέχεται εἶναι, contra vulgarem de deorum invidia opinionem. (Quippe πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί.)

122) Visionem suam Dei comparat cum epoptarum in mysteriis beatitudine, VI, 9, 11. et ἄῤῥητον dicit. Sapiebat quoque mysteria pactum illud discipulorum Ammonii, ne magistri effata publicarent.

## Caput tertium.

*De primo philosophiae principio. De ente et non - ente. De materia et forma. De uno et numero. De toto et partibus. De finito et infinito.*

Dialecticam Plotini rationem per singulos locos perscrutaturis nobis respiciendum saepe erit ad priores philosophiae Graecae thesauros, quos aut praeparatos aut rudes invenit Plotinus et philosophiae suae operi inseruit. Verum ne amisso filo, quo in tortuoso per duras et subtiles quaestiones itinere regamur, vagi a proposito fine repellamur, Parmenidem Platonicum huic expositioni subjiciemus, ita ut dialogi illius artificiosissimi processum strictim persequentes annectamus ei Plotini de philosophiae elementis responsa. Habemus enim in celeberrimo Platonis opere magnifica quasi omnis philosophiae propylaea, per quas intremus ad augusta veritatis templa. Aliena est ab instituto nostro et aliam in occasionem reservanda copiosior dialogi per omnes partes enarratio; monuisse sufficiet, neque summam sapientiae Platonicae rationem ei inesse [125]), neque philosophum, sive in Eleatarum irrisionem, sive ut ipse aliquando animi sophisticam artem non plane repudiantis desiderio satisfaceret, in lubricum sterilemque campum descendisse, unde mox ad solidiores et laetiores regiones reverteretur [124]), sed in uno conspectu ponere voluisse apteque componere, quidquid ab Eleatis ad veritatem indagandam aut vere propositum esset aut necessaria quadam conclusione illorum ex placitis sequi videretur. Simul autem, cum Parmenides non omnia, quae sparsit, veritatis semina in lucem proferre et excolere potuisset, Plato ita dicta ejus componit atque explicat, ut ipsa imbecillitatem suam prae se ferre videantur suique refutationem involvere. Neque vero jam in hoc libro palaestram Eleaticam relinquere voluit [125]),

[123]) Omni tempore a multis, qui aut in symbolis et arcanis, quae opinabantur, mysteriis explicandis animi sagacitatem vellent ostentare, aut nimis delectarentur nudis illis et abstractis a pleno naturae et mentis argumento formulis dialecticis, scopus habitus est et centrum universae philosophiae Platonicae dialogus noster; rectius dici poterat fundamentum, cui splendidum et vastum philosophiae aedificium superstruendum erat. Dignum autem est notatu, cum Proclum theologiam suam Platonicam ex hoc potissimum libro videamus hausisse, Plotinum lubentissime in Phaedro et in posterioribus libris, Phaedone, Sophista, Philebo, Timaeo occupari; omnino multa in definienda Dei natura ex dialectica illius dialogi expositione recepit, sed ita, ut a mentis consideratione, non a formali unius descriptione, ad Deum pergeret. Semel tantum disertis verbis affert Parmenidem Platonicum, V, 1, 8., sensum magis, quam verba respiciens; frustra enim in illo quaeremus, quae Plotinus de triplici unitate, prima summa, altera ex multis constante, tertia ex uno et multis composita ibi se invenisse profitetur. — Rectum dialogo locum adsignat *Hegelius*, *Wissensch. der Log. Einl.* p. XXIII.

[124]) In hanc fere sententiam loquitur *Tiedemannus*, dial. Plat. argum. p. 340.

[125]) Dialogum medio in sermone relictum esse a Platone *Astius* existimat, (*Platons Leben und Schriften*, p. 244.) minus attendens ad institutum Platonis, quod assecutus erat ipsa Parmenidis in fine dialogi sententia, omnia semper simul *esse* et *non esse*. Abruptum filum in Sophista videmus continuatum.

et ad altiorem transire idearum mentisque cognitionem, sed subsistere in patefacta et demonstrata omnium notionum, quae intellectu concipiantur et pro veris dubitationique non obnoxiis habeantur, difficultate et repugnantia, quae, cum in neganda tantum scientia versetur [126]), in recentiori philosophia *reflexioni* attribuitur, necessario quidem sed non summo mentis operi. Hoc juvenili negotio peracto [127]), Plato ad ampliorem veritatem perrexit et supra istam negationum catenam ad mentem coepit ascendere, cujus aeternas ideas, a summo bono pendentes, fortissimum veritatis et vinculum et pignus esse perspexit [128]); quod ita ab eo factum videmus, ut in Sophista Eleatarum moveret stabilitatem aeternumque Heracliti motum stabiliret [129]), et omnes res unitatis simul et varietatis, et ipsum mendacium veri partem aliquam habere ostenderet, in Philebo idem opus perageret, a Pythagoricis *finiti* atque

---

126) Tantum abest, ut Plato Parmenidis tantum sententias subtilius et cultiori sermone voluerit componere, ut omnia, quae ex illis aut sequi debebant aut vere derivata erant in Melissi, Zenonis, Gorgiae argumentationibus, et totum lucrum, quod ab ista schola in universam philosophiam redundaverat, descripsisse existimandus sit. Acquieverat enim Parmenides in negatione sua ortus atque interitus et omnium, quae non vere essent: οὐ γὰρ φατὸν, οὐδὲ νοητὸν Ἔστιν, ὅπως οὐκ ἔστι, (*Brandis* commentatt. Eleat. p. 111.) et, quod in prima dialogi parte evincit Plato, unum, si sit et vere unum maneat, neque in cognitionem cadere neque omnino esse, et ita, quod cum maxime videatur esse, revera non esse, id non ab ipso Parmenide inventum est, sed justa conclusione hanc omnium rerum negationem, doctrinae Parmenideae insitam, explicare coepit Melissus, qui finitum et absolutum illius ens *infinitum esse* docuit; *Brandis* p. 188. (recte igitur monet Aristoteles, metaphys. I, 5. p. 18. Br. eum unum quaesivisse non secundum rationem, sed secundum materiam) profligavit hanc quaestionem Zeno, qui, *multa* ubique negans (Parm. p. 128.) ipsum *unum*, cum *ens* jam ab uno diversum sit, negare debebat esse; absolvit Gorgias, qui nihil omnino esse, nec, si quid esset, cognosci, nec, si cognosci posset, cum aliis posse communicari, audacter docet; cf. Arist. de Xenophane, Zenone et Gorgia; caput, quo de Gorgia agitur, emendatius exhibet *Foss de Gorgia Leontino*, p. 110. — Ab omni parte negationem istam illustrat Plato, ita ut ex duplici ejus hypothesi, sive unum sit sive non sit, octo efficiantur membra mire sibi respondentia, quae in uno denique centro omnia concurrunt.

127) Dialogum nisum Platonis juvenilem prodere et maximis impediri difficultatibus, qui post Theaetetum et Sophistam scriptum esse putent, primus intellexit et extra dubitationem posuit *Schleiermacherus* in introd. ad Parm., *Platons Werke*, I, 2, p. 105.

128) Haec vera est causa, cur Socratem induxerit juvenem, quaestionem gravissimam de ideis jam moventem, nec Zenonis sapientia contentum, cujus summa erat, omnia simul unius partem habere et (quae videatur esse) multitudinis, sed intelligere cupientem, quomodo et unum in multa diffundatur et multa ad unum revocentur; jam igitur elato supra Eleaticam sterilitatem capite adspirare coepit ad sublimes boni justique notiones; cum vero, dialectica arte nondum satis instructus, hominum (quod ei objicit Parmenides) opiniones nimis respiceret et diversa notionum genera confunderet, opus ei erat dialectica ista in schola Parmenidis exercitatione, quo certius suum ipse opus tractaret.

129) Impugnatis in Theaeteto *fluentibus* (οἱ ῥέοντες) Heracliti discipulis, (p. 179. seqq.) nondum ibi sanctam Parmenidis auctoritatem tangere audet, (p. 183 — 4.) sed in Sophista hospitem Eleaticum facit illius rationes refutantem, quasi philosophia ejus, dialectica sua vi et sagacitate, qua prae omnibus excelluit, jam optimam sui ipsa involveret refutationem.

*infiniti* notionibus profectus, et veram finis naturam explicaret, in libris denique de republica et, in Timaeo medullam quasi et florem prioris universae philosophiae reciperet et admirabili mentis suae vi illustraret [130]). Finis Parmenidis Platonici erat persuasio, omnia esse simul et non esse, apparere simul et non apparere, sive unum sit sive non sit [131]), quam ad inveniendam permensus erat hancce deinceps primarum notionum seriem: *ens* et *non-ens*, *unum*, *aliud* et *multa*, *totum* et *partes*, *initium*, *medium* et *finem*, *finitum* et *infinitum*, *locum et figuram*, *comprehendens* et *comprehensum*, *statum* et *motum*, *idem* et *alterum*, *simile* et *dissimile*, *aequale* et *inaequale*, *plus* et *minus*, *prius* et *posterius* et ipsum *tempus*, *esse* et *fieri*, *sensum* denique, *opinionem*, *verbum*, *cognitionem*, quae cuncta simul esse et non esse evincitur.

Jam prima nobis exoritur quaestio de summo dialecticae Plotinianae principio, unde profecta in singulas notiones earumque mutationes evolverit sese; qua in re videri possit haec philosophia propria quadam imbecillitate laborare, quod Deum ponat omnium rerum principium, priusquam ex singulis rebus demonstratum sit, necessario omnes ex Deo pendere; et sane jam supra confessi sumus, hanc vix removeri posse difficultatem, quod ipsum cognoscendi principium cognitioni subtraxerit et visioni supra mentem escendenti reliquerit agnoscendum. Attamen, ne in vanum omnia et temere profudisse Plotinum putemus, magnopere laudanda est via et ratio, qua principium illud appetendum esse semper monet, attollere jubens mentem ad puram cogitationem, sensuum illecebris non distractam [132]); et,

---

130) Nemini persuadebit *Socherus*, (*über Platons Schriften*, p. 287. seqq.) Parmenidem, ut Sophistam et Politicum, non fuisse a Platone, sed a Megarico quodam contra Platonis ideas conscriptum. Quominus autem credamus, Megaricis, ut falsae dialecticae auctoribus, veram eum in hoc libro opponere voluisse, quae erat *Astii* sententia, (Pl. L. u. Schr. p. 239.) et temporis ratio et ipsa res prohibet.

131) Parm. in fine, p. 166.

132) Mentem summum esse scientiae principium et omnibus animae sentientis et judicantis actionibus subesse, nec se velut aliam, sed se ipsam in omnibus cognoscere luculenter docet in libro περὶ γνωριστικῶν ὑποστάσεων καὶ τοῦ ἐπέκεινα, V, 3. qui universae Plotini philosophiae tamquam canon et critica mentis atque animae exploratio poterat praemitti, et digniorem post Stoicos atque Epicureos proponit scientiae rationisque descriptionem. Revertemur ad illum, cum progressi fuerimus ad notionum formas et compositiones cognoscendas; jam in hoc fundamento acquiescamus ibi posito: ὅτι μὴ οἷόντε τὸν νοῦν ἐκτὸς ἑαυτοῦ εἶναι — ἐν ἑαυτῷ ἐστι καὶ σὺν ἑαυτῷ, ἀνόητος δὲ νοῦς οὐκ ἄν ποτε εἴη. Ad scientiam in mente habitantem hominem dicit praeparari cogitatione a compositis ad simplicissima pergente, (διάνοια) quae vere est dialectica animi vis, et finitur in pura cognitione: τὸ διανοητικὸν ὅσα ὁρᾷ γινώσκει καὶ οἶδεν ἃ λέγει. In cap. 2. *conscientiam* (σύνεσιν, quam opponit saepe τῇ συναισθήσει, ita ut illa sit certior rationis conscientia, haec *consensus*, quod proprium videtur animae sentientis negotium et initium esse verae conscientiae; cf. c. 13. συναίσθησις πολλοῦ τινος αἴσθησίς ἐστι, III, 8, 3. et saepe) omnes intelligentis animae actiones comitari docet, et in ea invenit simul *reminiscendi* (ἀνάμνησις) originem, quod certissimum mentis esse signum ostendit Platonicam-

quid maximum sit et gravissimum in negotio dialectico, quae philosophiae suprema lex, id rectissime eum intellexisse sententia ejus comprobat: *principium simul esse finem* [133]); neque enim pro consilio suo certam aliquam formulam et propositionem, quae extra omnem dubitationem caderet, potuit supponere, unde longa conclusionum et demonstrationum serie veritatem derivaret, quam methodum saepissime a multis cognovimus observatam fuisse in philosophando, nam verae et vivae philosophiae ipsae, quas ponit, primariae sententiae in dubitationem vocandae sunt; neque ab una quadam ingenii humani vi et actione scientiam voluit repetere, cum vidisset, nec Stoicorum perceptionibus nec Epicureorum imaginibus certiores nos veri fieri. Quare non longum exstruxit regularum et criteriorum veri falsique acervum, quae ipsa ex universo demum cognitionis complexu possunt intelligi, sed ad totam liberamque mentem redeundum esse monet, et, ut lumine lumen adspiciamus [134]), ita mentem mente cernendam [135]), neque extra ipsas res cogitationem ponendam, quasi aliunde et fortuito ad eas accederet [136]). Philosophiae autem, a principio ad finem progredientis, opus est ostendere, hunc ab illo non vere esse diversum, sed totam ejus ubertatem, incognitam antea, jam evolutam ob oculos ponere, ita ut totam et mentis et naturae universitatem comprehendat. Amat igitur principium cum semine comparare, quod videatur quidem diversum esse ab herba inde enatura, nec explicatam ostendat singularum partium varietatem et formam, *potentia* autem, non *efficacia*, totam jam herbam involvat [137]). Et, uti ex vivo

---

que de idearum recordatione, omnis cognitionis fonte, doctrinam mythica interdum forma involutam sagaciter illustrat in libro *de sensu et memoria*, IV, 6.

[133]) III, 8, 6. τέλος ἅπασιν ἡ ἀρχή.

[134]) Sic Deum, summum lumen, animae lumine tangi dicit V, 3, 8. οὐκ ἄλλῳ φωτὶ (ἡ ψυχὴ θεὸν θεᾶται) ἀλλ' αὐτῷ (non αὐτό, quod est in edit. Basil.) δι' οὗ καὶ ὁρᾷ· οὐδὲ γὰρ ἥλιον διὰ φωτὸς ἄλλου. Similiter secundum Platonem, ut sol oculo cernitur instrumento solis simillimo, ita bonum mente, boni simillima, cognoscitur de rep. 508. seqq. — Erat summa quaedam Plotini lex, cognatis cognata in rerum natura sentiri et cognosci, et corporeos quoque sensus, visum et auditum, ad consensum aliquem naturalem (συμπάθειαν) instrumenti percipientis cum re percepta refert, rationem vero liberam mentis actionem dicit in libro Enn. IV, 5, ubi de visu et luce et de auditu uberius agit. Subest poetica Empedoclis sententia, elementa sensibus inesse, τὸ γὰρ ὅμοιον τοῦ ὁμοίου ἐφίεσθαι, cf. Arist. de anima I, 5. eth. Nicom. VIII, 2. *Sturz* Empedocles p. 204 — 208 et in collectione Sturziana versus 318 — 320., γαίῃ μὲν γὰρ γαῖαν ὀπώπαμεν, seqq.

[135]) V, 3, 8. τὸ ἀληθινὸν νοητὸν καὶ νοοῦν καὶ νοούμενον, καὶ ἑαυτῷ ὁρώμενον, καὶ οὐ δεόμενον ἄλλου, ἵνα ἴδῃ, αὐτῷ αὔταρκες πρὸς τὸ ἰδεῖν.

[136]) V, 1, 1. παντάπασιν ἄτοπον, εἰ τῶν μὲν ἄλλων γνῶσιν ἔχει, (ὁ νοῦς) ἑαυτοῦ δὲ μὴ ἐν γνώσει καὶ ἐπιστήμῃ καταστήσεται. — cf. c. 3. νοήσει τὸ νοητὸν, ὅπερ ἦν αὐτός.

[137]) Unum afferam locum V, 9, 6. ubi mentem omnia dicit continere *simul* et *discreta*, (πάντα δὲ ὁμοῦ

semine omnia in rerum natura procreentur, ita jam prima scientiae elementa universam scientiam continent involutam, neque ulla ejus pars ab aliis vere sejuncta est, sed in unaquaque disciplina reliquae omnes positae sunt potentia, etsi non ubique vere adsint [138]). Nec omnino in partes dissecanda est scientia; partes enim a toto sunt avulsae, et, uti singulae toto minores sunt, ita omnes inter se multis gradibus distant; scientia autem una semper et universa in omnibus est [139]). Et totum philosophiae processum sub imagine lineae proponit, quae, cum rectum tenere non possit cursum, ne in infinitum spatium excidat, inflexa et in se recurrens circuli describit figuram [140]); itaque principium philosophiae unum est centrum, immensam centrorum, unde singulae exoriantur disciplinae, varietatem continens et per infinitum radiorum numerum in circuitum sese evolvens, immotum ipsum, sed simplicissimum simul et ditissimus omnium rerum thesaurus [141]). Haec centrorum varietas in mente posita est, quam semper ex se dimittit Deus; mens igitur summa est omnium rerum veritas, et alterum post incognitum Deum cognoscendi principium, neque ulla potest esse scientia nisi in mente. Non erat hoc principium ab ipso Plotino excogitatum, sed omnis sem-

---

ἐκεῖ, καὶ οὐδὲν ἧττον διακεκριμένα, uti uno semini multae insint vires nondum efficaces, singulae autem omnes diversae sint notiones una summa notione comprehensae, et banc esse insitam semini *naturam* (φύσιν) omnia ex eo procreantem. Cf. Ar. de part. anim. I, 2. ἔτι δὲ δυνάμει τὸ σπέρμα.

[138]) IV, 9, 5. In singulis scientiae partibus monet totam contineri, et *potentia* cum toto esse connexas, (hellenistico utitur vocabulo ἐνδυναμοῦσθαι, i. e. ἐν δυνάμει εἶναι, a soloeco adjectivo ἐνδύναμος, cf. *Lobeck ad Phryn.* p. 605. similiter amat verborum ἐμψυχοῦν, ἐννοοῦν, ἐνσωματοῦν, et derivatorum inde nominum usum) in efficacia autem singulas tantum apparere. Singulorum ex toto ortum adjectivis ἕτοιμος et πρόχειρος notat; similiter V, 7, 2. singulas animas προχείρους dicit, i. e. promtas quasi esse et exsistere ex universa anima singulas involvente. (Cf. Sext. Empir. adv. math. I, 249. ubi προχειρότης τῆς ἀμεθόδου ὕλης est tractatio et dispositio materiae male nexae.)

[139]) Classicus est locus IV, 7, 5. ὅπου τὸ μέρος τὸ αὐτό ἐστι τῷ ὅλῳ, τοῦτο ἐν τῇ αὐτοῦ οὐσίᾳ τὸ ποσὸν εἶναι ὑπερβέβηκεν, ἄποσον δὲ εἶναι αὐτὸ δεῖ ἐξ ἀνάγκης, unde singulas animas partes non esse universae animae evincit IV, 3, 2.

[140]) VI, 5, 11. tempus, in quo nascantur et evanescant mortalia, lineae comparat, quae, cum recta in infinitum videatur pergere, vere in circulum sese flectat et circa unum centrum moveatur; similiter evolutio (διέξοδος) cogitationis, in tempore sese explicans, applicatur semper ad aeternam mentem. Symbolice hunc omnium rerum et cogitationis motum adumbraverat Plato in Timaeo, (p. 36.) in duplici *ejusdem* et *alius* i. e. mentis et naturae, quae distractam ostendat mentem, circuitu. (ἡ ταὐτοῦ καὶ τοῦ ἑτέρου φορά) Haec erat summa disciplinae mathematicae ratio, ut aeternae veritatis imaginem ob oculos poneret certissimam. Sic mundum universum aequabilem animae motum imitantem circulum dicit describere II, 2, 3.

[141]) VI, 5, 5. hoc symbolum proponit difficillimae de uno et multis in scientia quaestionis, et singula radiorum centra iis insita vires vocat atque essentias nondum separatas, (ἀδιάστατοι δυνάμεις καὶ οὐσίαι, male ed. Bas. οὐσία) extremos linearum fines, unde ipsae dimittantur.

per ab hominum memoria philosophiae fundamentum fuit aut intellectum aut divinatione quadam perceptum; neque cadere potest in eum opprobrium, suppositum esse principium, non demonstratum, et singulas mentis vires ac regiones debuisse illustrari et describi, priusquam illam sedem veritatis dicere potuerit; quicumque enim ad veritatis rationes indagandas accingitur, jam hoc sibi posuit firmissimum operis sui fundamentum, mentem continere veritatem, etsi nondum plane intellexerit, nec, qui ad dubitationem deflectitur, alium, dummodo constare sibi velit, dubitationis suae potest fontem statuere; singulas autem mentis actiones, in quibus posita est summa universae naturae vis, quis recte intelligat, nisi prima conscientiae et naturae phaenomena et rationales veritatis formas ubique conspicuas cogitatione comprehendere tentaverit? Circulo igitur comparans philosophiam, noluit eam in uno semper eodemque infelicissimo opere, Danaidum instar, versari, et, cum principium finis sit, idem usque in idem relabi, (uti circulus, quem vocant, in demonstrando) sed aequalem constantemque significare voluit cogitationis progressum, quae, numquam a mente discedens, sese ipsam suique principia discat intelligere et finem in iis veritatis ponere. Hoc principio statuto, si in mente subsistamus neque Deum cum Plotino, in ipsis hisce principiis parum sibi constante, ab omni cognitione removeamus, veram intellexit τῆς ἀρχῆς vim et vitam, quam Parmenides Platonicus, progredientem describens unius evolutionem, *medium simul sui et finem esse* dicit [142]); et, cum Stoici, ad certas quasdam formulas cogitationem retorquentes, accuratissime philosophiae partes descripsissent, Plotinus, ne vivum scientiae corpus enecaret, Platonis exemplum secutus non seorsim tractavit singulas philosophiae disciplinas; quo facto confusionis crimen non potuit effugere; ipsa enim philosophia discrimina diversorum rerum ordinum negligi vetat. Neque umquam in philosophia nomine digna posita sunt principia, quae non fines simul philosophandi esse et a mente penitius rerum naturam indagante rectius pleniusque cognosci crederentur. Jam enim in primis physicorum conaminibus principia inventa sunt, quae in singulas res sese explicantia subessent cunctis et in omnibus servarentur; totam autem philosophiae vim et dignitatem primi rectius perspexerunt cum Anaxagoras, detecta mente scientiae fonte, tum Parmenides et Pythagorei, quorum ille cogitationem non diversam esse docuit ab ente, et universum cum globo comparavit omnia perfectissime continente [143]), hi primam suam unitatem in omnibus rebus re-

---

[142]) Parm. p. 153. *Τὸ ἓν οὐδενὸς ἀπολείπεται τῶν ἄλλων γιγνομένων — ἕως ἂν πρὸς τὸ ἔσχατον διελθὸν ὅλον ἓν γένηται.*

[143]) Celeberrimus est versus Parmenideus: (v. 195. Brandis) *ταὐτὸν δ᾽ ἐστὶ νοεῖν τε καὶ οὕνεκέν ἐστι νόημα*, a Plotino laudatus V, 1, 8. qui immotam illius unitatem, globo comparatam, ad mentem transfert, cogitationem non extra se habentem, sed in se continentem,

perientes numeri imitatione quadam cuncta tradiderunt oriri [144]); Platonis autem institutio tota in eo erat, ut principium in fine absolvi ostenderet, et diversas esse veri inveniendi rationes, nullam a vero alienam, cum omnes in summo bono concurrant [145]); Aristoteles denique bonum, propter quod fiant omnia, principium simul et finem esse monuit, unde singula quaeque exoriantur, quo repetant omnia [146]).

Neque vero altius potest ascendere philosophia, quam ad definitionem, quid sit ipsum *esse* et *non esse*, et utrum dicendum sit, eorum, quae cogitemus, alia esse, alia non esse, an omnia, quae cogitentur, vere esse, quodammodo autem sui ipsa negationem continere. Sic Plato in Parmenide unum, quam simplicissimam et per se maxime tenuem rerum formam statuit, cogitari non posse intellexit [147]), nisi aut esse illud, aut non esse demonstratum esset; quare a duplici conditione exorsus perlustravit omnia, quae sequi viderentur, sive unum esse sive non esse poneretur; qua ratione id assecutus est, ut in arcana utriusque notionis mysteria penetraret et perspiceret, quomodo idem simul esse et non esse dici possit. Plotinus quoque (Enn. VI, 3) terrestria rerum genera ita evolvit, ut a prima illa rerum corporearum *substantia*, (οὐσία) quam primo categoriarum suarum loco posuerat

---

[144]) Hoc erat τὸ πρῶτον ἓν, quod summum unitatis numerique in rebus apparentis principium statuerant; cf. Arist. metaph. XII, 6. p. 230. Br.

[145]) Plato diversos veritatis gradus statuens, *comparationem*, (εἰκασίαν) *persuasionem*, (πίστιν) *cogitationem*, (διάνοιαν) *cognitionem*, (νόησιν) de rep. p. 511., unam esse scientiam neque ullam cognitionis humanae partem veritatis expertem indicat.

[146]) Metaph. VIII, 9. p. 186. Br. ἅπαν ἐπ' ἀρχὴν βαδίζει τὸ γιγνόμενον καὶ τέλος· ἀρχὴ γὰρ τὸ οὗ ἕνεκα· τοῦ τέλους δ' ἕνεκα ἡ γένεσις. Ab hac circulari, ut ita dicam, philosophiae forma declinaverant Stoici, totum ex partibus compositum ab universo in se revoluto nec partibus constante non satis discernentes, et naturam interdum cum mente confundentes. — Sextus Empiricus infinitam rerum naturalium numerorumque seriem in mentem transferre ausus eo debuit pervenire, ut omnem tolleret scientiam et mentem semet ipsam negaret intelligere; tota enim si sese intelligeret, (sic iste ratiocinatur) tota esset intelligens, neque esset aliquid, quod intelligeretur; si una tantum parte se comprehenderet, in infinitum abiret cogitatio, cum novae usque exoriantur quaestiones, quomodo partes se possint intelligere; adv. log. I, 310. seqq. Iisdem fere argumentis utitur Plotinus, ut demonstret, animam et mentem simplicissimas esse et indivisas, nec, quae mente destituta sint, mentem posse gignere, IV, 7, 2, ut hic quoque ipsius erroris in veritatem transitus sit agnoscendus. Felicissime priorem istam dubitationem, quae impugnaret mentis de se scientiam, in libro V, 1. solvit, perpetua, uti videtur, scepticorum ratione habita; nihilominus, cum mens intelligens diversa esset ab intellecta, hoc discrimen, quod in ipsa mente tollendum erat, eo perduxit Plotinum, ut Deum non cogitantem fingeret. — V, 5, 2. recte contra tales scepticorum vexationes asserit, mentem sibi ipsi maxime esse perspicuam, (ἐναργής) nec demonstratione aliqua seu fide (πίστις Plotino semper est *persuasio*, quae solidis necessariisque argumentis non nititur) egere.

[147]) Socratem veritatem non posse intelligere dicit, nisi duplici statuta hypothesi omnia, quae ex utraque viderentur sequi, penitus explicasset et sic ad veritatem viam munivisset Parm. p. 136. Haec *disjunctiva* ratio non minimum in dialectica de syllogismo doctrina locum tenet.

Aristoteles, profectus reliquas inde mundanarum rerum categorias deduceret eamque per omnes deinceps gradus persequeretur. Cum autem necessarias hujus substantiae partes *materiam* dicat et *formam* [148]), primo nobis disserendum erit de his simplicissimis substantiae elementis, unde simul cernemus, quae fuerit Plotini de iis, quae non sint, et de omni negationum genere sententia.

Ortum rerum atque interitum observantes in perpetua omnium mutatione unum aliquod cernere nobis videmur, quod immotum maneat et immutabile rerum et principium et substratum; progrediens autem contemplatio, cum nihil videat motui et mutationi exemtum, hoc unum studet omni proprietate et varietate exuere, et nudam invenit puri *entis* notionem, de quo nihil aliud, quam hoc ipsum *esse*, possit praedicari. Jam vero cogitatio, cum imaginem aliquam tenuis hujus et exilis notionis menti informare frustra conetur, eo devenit, ut aut statum omnem aut motum tollat, et denique aut ipsum hoc ens esse neget, aut esse simul et non esse contendat; emergens autem ex tam duro discrimine ratio infinitam rerum multitudinem persequens et ad certas aliquas leges ac regulas motionum ascendens, etsi in ista ortus atque interitus vicissitudine omnia videantur diffluere, summam ubique notionum detegit constantiam, et omnia aeternae cujusdam rationis ac legis partem habere et in hac vere esse ac subsistere intelligit, unde tandem ad mentem pergens in hac extrema cernit insita rebus consilia et altissimas omnium mutationum formarumque radices. Jam nudum illud ens et omnibus attributis destitutum in rerum evolutione non perire cognoscitur, sed ipsum in omnibus servari et progrediens per totam rerum seriem omnes notionum divitias in se recipere, donec in mente et in Deo, uti vera sui atque aeterna sede, positum intelligatur. Neque vero, cum dialecticae artis sit, primum ens in singulis attributis diversis modis apparens ostendere et ita veram stabilemque rerum naturam in Deo collocare, dissimulare potest aliam illam rerum legem, ex qua singula quaeque nasci videantur et mori, et speciem illam, quae, ex nobili veteris philosophi dicto, omnia comitatur [149]), naturaeque debilitatem cogitatione vult comprehendere, ut morte intellecta et quasi domita mens horrere eam desinat libereque in aeternitatis evolet regiones. Invenit autem solida suique conscia contemplatio, in primis illis cogitationis initiis, ubi nudo enti contrarium aliquod *non-ens* opponitur, quod ne esse quidem dici possit, neque hoc neque illud per se esse verum, sed illud illico in hoc, hoc in illud transire, ut confundi videantur et in unam notionem coalescere; verum simulac certam aliquam cognovit rem, quae in cogitationem cadat, hanc simul esse quodammodo et non esse intelligit; nascentem enim videt, cum antea non fuerit, jam esse incipe-

---

[148]) VI, 3, 2. seqq.

[149]) Xenophanis dico illud: δόκος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται, *Brandis* comment. Eleat. p. 61.

re, morientem desinere esse, et totam rem, cum et ab aliis omnibus sit diversa et ipsa in infinitam partium multitudinem et diversitatem dilabatur, negationem aliquam ejus, unde exorta est, prae se ferre et in hac negatione tamquam certam aliquam et singularem consistere, vere autem ab hac insita diversitate in generis, quo involvitur, unitatem redire, et ipsa generum discrimina in summa mente et ratione tolli, quae semper una continet in se omnia conjuncta et discreta. Docet igitur dialectica, videri quidem multa simul esse et non esse, et, quae non esse videantur, ea speciei et mendacio esse adsignanda, mentem omnia penetrantem perpetua sua mortalium ab aeternis separatione veritatem omnium rerum semper evincere. Illa autem negatio, quam dialectica invenerat rebus adhaerentem et in veritatem semper redeuntem, duplici modo apparet per naturam et animum humanum diffusa. Videtur enim in natura, cum variae notionum rationes nusquam ibi cernantur conciliata sed dissociata et per singulos rerum ordines dispersa, imbecillitas quaedam status sui servandi dominari, quam, cum omnia transeat, *materiam* vocamus, pauperem per se atque egenam, tenue rerum substratum, quo in varias distrahuntur partes, eamque fingimus *formam* semper exspectantem, qua recepta aliquam veri speciem nanciscitur; et haec est immanens illa rebus negatio, quam in natura regnantem ingenium humanum omni virium contentione percipere studuit et superare, postquam dialectica ratione omnia vere esse, sed videri non esse, cognovit. Altera autem boni negatio in ipso hominum animo habitat, ubi, simulac singuli aeternae se divinaeque legi opponere audent et ab ea desciscere, malum exoritur, prima imbecillitatis humanae causa, sed quod omnipotenti Dei vi ac ratione evanescit illico et ad bonum semper reducitur.

Hunc necessarium cogitationis progressum jam in Graecorum philosophia inceptum videmus et ad finem aliquem perductum; summam autem dialecticae de ente et non-ente disquisitionis legem et normam proposuerat Plato in Parmenide, qui, omnia simul esse et non esse, sive unum sit sive non sit, demonstraturus, utramque notionem arctissime complexam et unam in altera necessario positam esse sagacissime ita pronuntiat, ut dicat, ei, quod sit, vinculum quasi esse additum *non-esse*, et rursus ei, quod non sit, *esse*, ne, propria natura relicta, illud non esse, hoc esse incipiat [150]), et per totum cogitationis complexum juxta se utrumque esse positum, atque omnia utriusque aliquam partem habere. Hanc ad metam dialectica pervenerat, cum Plato in priorum conaminibus, firma et stabilia in flumine eorum, quae gignuntur in tempore atque intereunt, dispiciendi, eandem detexisset repugnantiam. Anaximander enim, qui primus a certa quadam materiae forma seu naturali rerum principio recesserat, et *infinitum* (*τὸ ἄπειρον*) invenerat, omnium rerum fontem atque originem, recte a Plotino (II, 6, 7) ju-

---

[150]) Parm. p. 162. *Δεῖ ἄρα αὐτὸ δεσμὸν ἔχειν τοῦ μὴ εἶναι μὴ ὄν, εἰ μέλλει μὴ εἶναι, ὁμοίως ὥσπερ τὸ ὂν τὸ μὴ ὂν ἔχειν μὴ εἶναι, ἵνα τελέως αὖ εἶναι ῇ.*

dicatur minus accurate ad naturam infiniti attendisse, quod, si ipsum per se sit infinitum, in infinitum discedere dicit partium numerum, nec esse omnium rerum substratum, si contra, tamquam accidens, ad substantiam aliquam referatur, hanc, cum de ea praedicetur infinitum, non ipsam esse materiam seu substratum omnis qualitatis expers, omnia otiose recipiens [151]). Optimum de Anaximandro Aristoteles judicium tulit [152]), eum, ut Anaxagoram atque Empedoclem, omnia ex mixtura quadam omnium rerum, quae sit aliquid potentia, nihil autem efficacia, et ita ex ente simul et ex non ente gigni docuisse; neque vero ipse potuerat ad hanc gravissimam, quam debemus Aristoteli, definitionem pervenire. Anaxagoras, qui jam mentem viderat summum omnium principium, nondum calluit exponere, quomodo in mente omnia posita sint et in illam materia redeat, neque a mixtura sua ad talem pervenit materiam, quae omni attributo carens et vana in se atque inanis mortalitatis esset et mobilitatis ratio; quamobrem non tollitur ab illo sempiterna infinitae varietatis et immixti principii repugnantia, nec, quantum ex reliquiis ejus licet colligere, certius exposuit notionem infiniti, quam et materiae suae et menti diverso omnino sensu attribuit [153]). Neque Empedocles ab elementis jam compositis ad simplices entis et non-entis notiones pervasit, sed acquievit in ortus atque interitus ex hostili virium pugna enati descriptione. Primus Heraclitus disertis verbis effatus est, omnia simul esse et

---

[151]) Plotinum verbis ὃ δὲ τὸ ἄπειρον ὑποθεὶς, τί ποτε τοῦτο, λεγέτω significare voluisse Anaximandrum, pro certo est habendum. Parum illum attendisse dicit ad veram infiniti notionem, cum tale sibi finxerit, quod nequeat aliquis transire, (ἀδιεξίτητον) i. e. quod nullo seu loci seu temporis termino lineae instar in immensum progrediatur. Quod dubitat, utrum ipsum infinitum putaverit Anaximander per se aliquid esse aut alii naturae adhaerere, id ex varia de infinito isto traditione explicandum est; opinabantur enim multi, mediam aliquam naturam inter aquam Thaletis aeremque Anaximenis materiam infiniti fuisse ab eo propositam; cf. *Ritter Gesch. der ion. Phil.* p. 170.

[152]) Ar. metaph. XI, p. 241. Br., ubi similem Anaxagorae, Empedoclis, Democriti censet fuisse sententiam, et inconditam Anaximandri mixturam proxime componit cum elementis Empedocleis, amore et odio conjungendis semper et separandis.

[153]) Mirum est, quod de Anaxagora dicit Plotinus: Ἀν. τὸ μίγμα ὕδωρ ποιῶν, neque id rerum verborumque nexus patitur; legendum censeo ὕλην, ut τὸ μίγμα primum sit objectum, et vertendum: *qui mixturam suam* (quam bene notam esse declarat articulus) *tamquam materiam proponit*; opponitur enim homoeomeriarum mixtura, nondum secreta, elementis, quae Empedoclem dixerat minus accurate posuisse materiam, cum jam composita sint materia et forma, ideoque nascantur atque intereant. — Anaxagoram ad significandam materiam pro vulgata formula: ὁμοῦ πάντα, simili usum fuisse: ἓν πάντα, conjicere aliquis possit ex loco Aristotelico, metaph. XI, 2., ubi verba ita censeo esse disponenda: καὶ τοῦτ᾽ ἔστιν τὸ Ἀναξαγόρου ἓν πάντα, (βέλτιον γὰρ ἢ ὁμοῦ) vix enim credas, ipsam eum materiam *unum* vocasse, quod solius mentis erat attributum; illa potius erat *omnia in uno*, haec *unum supra omnia*. — Acumen hujus philosophi desideramus in definienda *infiniti* notione; simul enim omnibus eam attribuit, quod omnia omnium partem habeant, (*Schaubach*, fragm. 1.) et menti, (fragm. 8.) quae nullius rei habeat partem. Merito hoc potissimum in eo reprehendit Plotinus, quod, cum mentem et materiam simul esse dicat, tertio opus fuisset principio, in quo utraque causam sui inveniat.

non esse[154]), nec inexhaustum motus principium, omnibus rebus variis modis immanens, morte finiri, mortem potius verae vitae esse initium [155]). Cum autem physicis magis quam dialecticis rationibus principium suum supra rerum fragilitatem extolleret, nec quid sit esse et non esse acrius perspexisset [156]), Parmenides, qui jam multitudinem deorum negatam invenerat a Xenophane et mortalem mundum ab aeterno sejunctum [157]), unum solum esse verum statuit, et unius atque entis notiones summas esse et in mente et in rerum universitate et omni varietate majores cognovit; quamobrem nihil non esse primus ausus est dicere [158]). At, cum ipse dissimulare non potuisset, ortum atque interitum et motum esse quodammodo videri, invitus a principio suo coepit recedere, et ab uno alium rerum ordinem discernere, in quo species regnaret sensuumque fallacia [159]); qui quomodo in uno atque aeterno positus sit, non

---

[154]) Cf. *Schleiermacheri* de Heraclito dissertationem, in museo a *F. A. Wolfio* et *Ph. Buttmanno* edito, I, p. 529. εἰμέν τε καὶ οὐκ εἰμέν. Rectissime videtur judicare Schleiermacherus, quod haec verba novam dicit sententiam proponere, non a praecedentibus ποταμοῖς τοῖς αὐτοῖς pendere.

[155]) Egregium est effatum, (*Schleierm.* p. 494.) καὶ τὸ ζῆν καὶ τὸ ἀποθανεῖν καὶ ἐν τῷ ζῆν ἡμᾶς ἐστι, καὶ ἐν τῷ τεθνάναι.

[156]) Haud scio an non Aristoteles absolvendus sit crimine dogmatis Heracliti aut male intellecti aut perversi, quod neque ab accurata viri diligentia neque ab incorrupta probitate poterat exspectari; etiamsi enim ille vitale suum motus principium, cujus imaginem posuit ignem, majus esse formis rerum, quae in sensus cadant, existimaverit, definire tamen nesciit, quomodo in singulis rebus principium efficiat formas et in ipsa specie veritas cernatur, neque ostendit, quo nexu communis vitae fons (τὸ ξυνόν, unde et res putabat exsistere et conscientiam excitari) cum vita in singulis apparente cohaereat. Placitum illud, *omnia simul esse et non esse*, quod Heracliti esse saepissime monet Aristoteles, (e. g. metaph. III, p. 67. 85., X, p. 220, Br.) optime convenit cum dicto supra (n. 154.) laudato, et cum alio, idem esse mortuum et vivum, dormiens et vigilans, vetus et novum, *Schleierm.* p. 434. Ens unum simul et multum esse et ab Empedocle tradi et ab Heraclito, quamquam ille ab uno in multa et a multis in una mutari, hic semper utrumque esse docuerit, testatur Plato Soph. p. 242.

[157]) Cf. *Brandis comm. Eleat.*, p. 44, qui recte dicit, Xenophanem distinguere noluisse principium, quod intelligentia tantum et ratione comprehendatur, ab altero, quod afferat opinionem per sensus, sensisse autem, rerum mutationes, etsi divina omnes una vis contineat, per se ipsas esse considerandas; quamobrem res naturales physicorum more ex elementis repetiit. Quod terram dicitur primum posuisse elementum, id ex principio ejus mihi videtur esse explicandum; terra enim, quam ex aqua prodiisse et aerem atque ignem densatione quadam in se recepisse opinatus est, (coll. locis ex Origene, philos. p. 99. et Plut. placit. III, 9., a Brandisio adductis) imago ei erat perfecti et summi entis, reliqua in se continens elementa, uti ens omnia continet.

[158]) Est sententia celeberrima: Οὐ γὰρ μή ποτε τοῦτο δαῇς εἶναι μὴ ἐόντα, (felicissima conjectura Heindorfius emendavit verba metro et sensu destituta: μή ποτε τοῦτ' οὐδαμῇ εἶναι, quae in Plat. Soph. p. 237., et in Ar. met. XIII, 2., leguntur) in quae Plato commentatus est in Sophista verumque eorum sensum dialectice exposuit.

[159]) Duplicem in carmine suo discernit viam, veritatis unam, qua ad unum finitumque ens evehamur, alteram opinionis, quae, cum praecipites nos in errores dejiciat, maxime omnium sit fugienda; nihilominus ipse

studuit perscrutari neque ostendere, quomodo ea, quae non sint, in uno evanescant. Jam igitur Melissus, cum nondum satis firmatae essent primae finiti atque infiniti notiones, unum, extra quod nihil esset, infinitum esse dixit, et viam patefecit sophisticis Zenonis et Gorgiae argumentis, unde aut omnia simul esse et non esse aut nihil omnino esse sequeretur [160]). Pythagorei, inventa numerorum lege, uti numeros, ita res omnes, secundum arithmeticam regulam dispositas, finito atque infinito constare docentes, oppositas illas notiones primi tentaverunt conciliare; vagi autem erant in unitate et materia definienda, cum tota numerorum ratio, nisi ad majorem revocetur legem, unitatem, quam semper ponit, semper in multitudinem ostendat diductam [161]). Tum Plato, cum tot sparsa invenisset veritatis semina, vitam ex iis elicere studuit, et, postquam in Parmenide totam entis et non-entis regionem descripsit et progrediendum esse ad firmiora scientiae fundamenta intellexit, egregiam Parmenidis sententiam, nihil non esse, indefessus ex ipsius notionis natura eruere conatus est, et eo pervenit, ut in natura atque in mente duplicem quidem indagaret rerum et cognitionis formam, statum et motum, sive, quae dialectica magis est formula, unum et alterum, utraque autem in eo,

---

in opinionum campum descendit, ut, quae in natura rerum appareant elementa et formae, explicaret, et duplex statuit principium, calidum et frigidum, (*Brandis*, p. 122. seqq.) quorum illud, cum unum aliquod sit in se non diversum, entis aeterni imaginem gerat, hoc, cum obscurum sit et in molem dispersum, ab illo regatur et contineatur, praeludens hac in re τῇ ταὐτοῦ καὶ τῇ θατέρου φορᾷ a Platone propositae.

[160]) Cf. n. 126. Mihi quidem, totum Eleaticae scholae nexum persequenti, Melissus videtur excipere Parmenidem ejusque dicta ad dialecticam aliquam artem revocaturus in hoc negotio, cujus rudior esset, (*μικρὸν ἀγροικοτέρους* eum et Xenophanem dicit Arist. met. 1, 4.) ad infinitum ens, materiae simillimum, relabi, et ipsa ejus argumentatio, magno conclusionum molimine circumsepta et Xenophanis Parmenidisque ratione multo artificiosior, proxime jam accedit ad sophisticam Zenonis et Gorgiae artem, et necessarium ostendit philosophiae Eleaticae progressum. Simile est Brandisii de Melisso judicium, comm. El. p. 199. seqq.

[161]) Pythagorei cum omnem substantiam et veritatem ponerent in numeris, vacuis rerum externarum formis, vivum universi principium ad sterilem unitatem, numerorum fontem, referebant, et, cum sagacissimi illorum intellexissent, ipsam numeri unitatem, cui multitudo opposita sit, jam involvere unum et multa seu finem atque infinitum, et ascendissent ad primam aliquam omnique numero superiorem unitatem, parum sibi hac in re constiterunt; nisi enim a numeris ad mentem progrediamur, non expediemur ex infinita ista unius et multorum vicissitudine. Sic Philolaus, qui plurimum in schola sua valuit dialectico acumine, ante finem et infinitum unum posuit omnium principium, (teste Syriano ad Arist. met. XIII, p. 102. agnoscit hoc testimonium *Boeckhius* in *Philolai vita et fragmentis*, p. 54.) finem autem uni cognatiorem statuens, ipsum unum videtur supra numerum quidem posuisse, sed duplicem aliquam ejus statuisse functionem, ut simul sit immotum in se manens et in multitudinem sese evolvens finiat eam et constituat. Quamobrem recte dicitur a Theone, (*Boeckh*, p. 147.) non distinxisse *unum* (τὸ ἕν) ab *unitate*, (μονάς) quod a Plotino bene institutum esse mox videbimus. Tangit hanc doctrinae diversitatem *Ritterus*, (*Gesch. der pythagor. Phil.* p. 119. seqq.) quam ex ipsa principii inconstantia facillime poterat explicare. Similis erat notionum *finiti* et *finis* confusio, et ipsam *materiam* alii in unitate, unde numerus enasceretur, (Arist. metaph. XII, p. 281. Br.) alii in multitudine, uni opposita, (ibid. XIII, p. 290.) ponebant.

quod vere sit, conjuncta esse, et, quae non esse dicantur, non omni privari substantia cognosceret, sed alius tantum rei ratione habita aliud quid et ab illa diversum dici [162]); quae igitur non sint, ea per se esse obscura atque incognita; opinionis autem esse, non ad aeternam stabilitatis et verae substantiae sedem adscendere, sed in medio quodam inter ea, quae sint et non sint, campo vagari et speciem atque inconstantiam sectari [163]). In Timaeo tandem mobilitatem omnem et mortalitatem naturae in unam materiae, recepturae omnia et semper forma replendae, notionem contulit, quam, poetica fere oratione describens, dialectice non persecutus est [164]), et cum vacuo eam loco videtur confudisse, id quod ab Aristotele ei objicitur [165]). Aristoteles a Platone rectam entis et non-entis ac materiae contemplationem recepit, et accuratius utramque definiit adjectis *privationis*, *substantiae*, *potentiae* atque *efficaciae* notionibus; intellexerat enim, nudas per se et steriles esse antiquas τοῦ ὄντος et μὴ ὄντος formulas, cum ea, quae esse negentur, *non esse* dicantur, et ita es-

---

[162]) Soph. p. 257. ὁπόταν τὸ μὴ ὂν λέγωμεν, ὡς ἔοικεν, οὐκ ἐναντίον τι λέγομεν τοῦ ὄντος, ἀλλ' ἕτερον μόνον. p. 258. verum τῷ μὴ ὄντι locum adsignat, ut sit *alius natura*, in omnia, quae mutuo conjuncta sint relationis nexu, dispersa, (ἐπὶ πάντα τὰ ὄντα πρὸς ἄλληλα κατακεκερματισμένην) et opposita ubique membra constituat, in ipsa veritate tollenda. Exponetur in sequentibus quaestionibus, quomodo Plotinus quinque illa omnis cogitationis elementa, a Platone in Sophista posita, ex ipsa mente deduxerit et ad summam revocaverit veritatem, verus et rectus Platonicae philosophiae interpres.

[163]) De rep. V, p. 476 — 79. coll. VI, p. 511. Humanam igitur cognitionem ab opinione, quae medium inter ens et non-ens teneat locum, ad scientiam vult penetrare, quae, in summo bono versans, negationem omnem tollat.

[164]) Tim. p. 49 — 53. Non ipse nominat ὕλην, sed ἐν ᾧ γίγνεται, eique id opponit, cujus ad imaginem gignantur omnia, ut ex utroque principio tertium enascatur, τὸ γιγνόμενον. Proxime ibi sequitur mythorum antiquorum, in mysteriis servatorum, symbola, quae duplex sub magno nominum numero ponerent principium, *agens* et *patiens*, discedens a cosmogonia Hesiodea, quae ex rudi indigestaque mole vi Amoris, secernentis omnia et componentis, omnem naturae vitam prodiisse finxerat. Qui aeternam materiam Deo opponi a Platone opinati sunt, nullam animo concepisse videntur aeternitatis notionem; materiam enim eorum tantum, quae fiant, esse substratum, fieri autem omnia in tempore et ipsum tempus ex aeterna mente oriri, disertis verbis in ipso Timaeo docet philosophus. — Egregie in locum illum commentatur Plotinus in libro *de materia*, II, 4.

[165]) Aristoteles (phys. IV, 2.) Platonem ἐν ἀγράφοις δόγμασι recipientem omnia materiam aliter quam in Timaeo definiisse dicit, sed ibi quoque cum loco confudisse. Veram *loci* notionem invenit ipse; locum enim, in quo singula quaeque sint, (τὸν ἴδιον τόπον) a loco communi, in quo sint omnia, (τὸν κοινὸν τόπον) probe discernens, illum quodammodo formam rerum vocari posse dicit, hunc intervallum (ex Pythagoreorum doctrina) seu infinitam materiam; vere autem nec materiam nec formam locum esse, cum utraque non possit a rebus neque una ab altera sejungi, sed membra sint correlata et necessaria rerum sensilium elementa; locum contra omnium esse receptaculum, a rebus sejunctum et cogitatione abstractum, in quo fiant omnia et mutentur.

sentiae (ut hac utar voce) ipsam quoque negationem partem habere [166]); neque igitur absolutam cogitari posse omnium rerum negationem, sed certi tantum aut subjecti aut praedicati, et aut esse puram negationem, (ἀπόφασιν) quae certam aliquam rem aliquid esse neget, aut *privationem*, (ςέρησιν) quae aliam inducat negataeque notioni oppositam substantiae formam [167]); jam autem his tribus elementis, *materia*, quae sit tantum, non sit aliquid, egeno omnium rerum receptaculo, sempiterna simul et mortali [168]), *forma*, et ipsa mutabili, finem autem indicante, cur res singulae enascantur et singulas cum universo earum genere conjungente [169]), *privatione* denique, seu negatione, quae diversitatis rerum et ortus

---

[166]) Ens latiorem, quam substantiam, ambitum habere, et, cum in se sit indefinitum, omnia accidentalium notionum ac negationum genera, ut quae sint ὁδὸς εἰς οὐσίαν, complecti dicit met. III, p. 61. διὸ καὶ τὸ μὴ ὂν εἶναι μὴ ὄν φαμεν. Similiter VI, p. 134. probat eorum judicium, qui, (ut Plato) non *simpliciter*, (ἁπλῶς, *absolute*) vocari dicerent τὸ μὴ ὄν, sed logice de eo disceptarent, (ut esset *relativa* tantum negatio) et XIII, p. 295. triplicem ejus partem ponit, veram negationem singulis categoriis adjunctam, *mendacium*, (quod latissimo sensu errorem omnem et speciem involvit, mendacio enim aut connectuntur, quae disjungenda erant, disjunguntur connectenda, aut imago inducitur a re ipsa diversa, met. IV, p. 119.) et quod *potentia* non esse dicatur, causa autem sit rei inde enaturae; in hoc tertium genus cadit materiae notio. Cf. XI, p. 241.

[167]) *Privationem* subjectam sibi naturam habere aliquam docet III, p. 63, et a simplici negatione (ἀπόφασις) discernit, quae sit tantum absentia rei nec aliam statuat certam notionem. Cf. Plat. Soph. p. 257. Relativam autem (ut nostrates loquuntur) esse hanc notionem et veram sui rationem habere in opposita affirmatione, docet VI, p. 139. τῆς στερήσεως οὐσία ἡ οὐσία ἡ ἀντικειμένη.

[168]) Cf. locum classicum phys. I, 9., ubi tria ponit rerum naturalium principia, *bonum*, (unde *forma* oriatur) *privationem*, *materiam*, et illam plane oppositam dicit bono, hanc bonum semper appetere, et ita singula quaeque ex privatione sui per materiam in substantiam transire. Est igitur materia insitus quasi τῷ μὴ ὄντι appetitus, quo impellitur ad amplectendum ens, quare *non - ens per accidens* eam vocat, privationem τὸ μὴ ὂν καθ' αὐτό, in se constantem; talibus ex principiis necessario motu efficacia boni certam rem provocat et gignit. Materiam, quam non esse nisi sensibilis substantiae docet, ita discernit a *substrato*, (τὸ ὑποκείμενον) ut illa sit pars substantiae, hoc ipsa substantia, de qua alia possint praedicari, ipsa de alia re nulla; metaph. VII, p. 165. Quod ibidem dicit: ὅτι δ' ἐστὶν οὐσία καὶ ἡ ὕλη δῆλον, illis non repugnat, sed, quidquid materiam vocemus, jam in se continere significat materiam et formam tamquam elementa sui et ita esse substantiam.

[169]) *Formae* notionem saepe conjunctis nominibus εἶδος καὶ μορφή circumscribit, hoc discrimine, ut μορφή externam rerum, quae oculis adspiciantur, formam indicet, εἶδος ipsam aut rebus insitam aut in eas superne demissam rationem, quae certo aliquo consilio singula quaeque procreet atque efformet; est igitur εἶδος vera τῆς μορφῆς ratio. Utramque autem, si materiae opponantur, non esse aeternam neque a singulis rebus separandam, exponit X. p. 214. Similiter λόγον apponit μορφῇ, VII, p. 165. — Potentia ne formam quidem diversam esse a materia legimus VII, p. 174.: καὶ ἡ ἐσχάτη ὕλη καὶ ἡ μορφὴ ταὐτὸ (καὶ) δυνάμει, τὸ δὲ ἐνεργείᾳ, ubi καί delendum videtur, et verborum difficultas ita explicanda: *materia et forma modo idem sunt secundum potentiam*, *modo* (solita respondentis in primo membro formulae τὸ μέν ellipsi; τὰ μέν — τὰ δέ de tempore passim dici monet *Schaeferus*

atque interitus contineat rationem, cum singula a singulis discedant [170]), unam effici primam sensilium rerum *substantiam*, quae, tamquam *substratum*, infimum in universo locum teneat [171]). Hanc vero jam in se conjunctam ostendere *potentiam* et *efficaciam*; illam enim materiae esse propriam, quae omnia possit fieri, hanc formae, quae rei indicet consilium, et tempore quidem hanc illa posteriorem cogitari, veritate autem et natura priorem esse habendam [172]). Sic Graecorum philosophia dialectica sua vi ac virtute supra negationem rebus insitam efferri inceperat, et, quomodo in perpetuo naturae fluxu in veritatem transeat atque in mente tandem evanescat, ostendere; nec, qui post Aristotelem usque ad Neoplatonicae scholae initia exstiterunt philosophi, illius laboribus aliquid potuerunt adjicere; qui enim, Democritum atque Epicurum secuti, *atomos* et *vacuum* rerum esse vellent principia, ii, quamquam non sine sagacitate invenerant in iis nudas omnique materia privatas puri *entis* et *non-entis* notiones, non valebant ad veritatem inde explicandam, cum fortuitae attractioni et concursui atomorum tribuerent, quae ad internam entis vim essent referenda, et, casum summam rerum legem ponentes, cogitationisque necessitatem licentia, quam libertatem dicerent, permutantes, divinam non agnoscerent mentis vitam mortali multo augustiorem [173]). Stoici autem, quantum quidem ex dispersis priorum fragmentis potest de iis judicium ferri, primas, quas induxerant, omnium rerum notiones, *essentiam* et *ens*, illa ut esset corporum materia, hoc movens et formans omnia vis ac vita [174]), dialectice non firma-

---

ad Dion. de comp. p. 208.) *sunt secundum efficaciam*, ubi, quae desunt ad integrum sensum: *et jam diversa*, supplendum reliquit scriptoris breviloquentia.

170) Cf. not. 167. 168.

171) *Substantiam*, cujus tria statuit genera, (cf. not. 12.) eam, quae sensu capiatur, tertium esse aliquod dicit duabus ex necessariis partibus compositum, *materia* et *forma*, metaph. VI, p. 130. Privationem non addit h. l., ut quae non pars quaedam sit, sed ortus principium.

172) De part. animal. II, 1. τῷ χρόνῳ προτέραν ἀναγκαῖον τὴν ὕλην καὶ τὴν γένεσιν, τῷ λόγῳ δὲ τὴν οὐσίαν καὶ τὴν ἑκάστου μορφήν.

173) II, 4, 7. Plotinus atomos non esse materiam monet, cum omne corpus in infinitum possit dividi neque umquam intellectus ad simplicissimas atque individuas partes perveniat; neque causam moventem posse ex iis explicari, quod et ipsae anima careant, neque creatrix animae vis possit aliquid ex iis formare; non enim esse continuas, sed vacuo interposito discretas, et coeco tantum casu in ordinem compellendas.

174) Cum Aristoteles τὸ ὄν negationibus quoque et accidentalibus notionibus, οὐσίαν substantiae tantum attribuisset, hoc ab eo receperant Stoici, ita quidem, ut stabilem rerum conditionem *essentiam*, fluxam et mobilem *ens* dicerent, et utraque *substrato* suo corporeo (ὑποκείμενον) inesse conjuncta; illam materiam quoque et patiens, hoc agens et Deum vocabant. Debemus hoc *Peterseniо*, phil. Chr. fr. p. 44. seqq. Quam vagi fuerint in definiendis hisce notionibus, ex loco Plutarchi cernimus, (de comm. not. c. 44.) ubi essentia semper moveri dicitur, ens semper opposita quaeque pati, atque idem permanere, cum contra ex Stobaei loco (p. 374. ed. Heeren) colligendum sit, essentiam eos dixisse id, quod mutationes omnes recipiat, ens, quod ex se ipso semper moveat essentiam. Similiter Plotinus ens ab iis statutum

verunt, et, cum philosophiae sit, negationem radicitus evellere, illi ea tantum esse asserebant, quae corpore essent inclusa, omnes autem cogitationes, sola mente conceptas, et ipsum universum ad ea, quae non essent, rejiciebant; quamobrem et a Plutarcho et a Plotino graviter objurgantur [175]). Nam, etsi dicuntur non-enti aliquam tribuisse essentiam et ipsum ens ex non-ente derivasse [176]), (universo enim, tamquam non-ente, omnia dicebant comprehendi,) id non dialectico processu factum esse videmus, et totam eorum philosophiam desiisse in negationem, cum in opere suo non pervenissent ad agnoscendum summum et omnipotens Dei mentisque in res omnes mortales imperium. Sic illi inviti induxerunt veritatis omnis negationem, quam, cum ipsi nondum essent professi, post eos sceptici per totum sensuum et cogitationum campum persequentes, nullam esse posse neque entis neque nonentia cogitationem aut doctrinam effati sunt [177]). Jam Plotinus redire coepit ad ea, quae de hoc primo problemate Platonis atque Aristotelis studiis lucra reportata erant, et novas adjecit quaestiones, quas illa aetate rectior mali per naturam dispersi et in ipso animo habitantis conscientia atque anxia inveniendi placandique Dei desideria in tanta rerum humanarum ruina provocaverant, de malorum omnium naturalisque perversitatis in anima regnantis origine. Quam vero Plato atque Aristoteles posuerant materiae notionem, esse eam imbecillum rerum singularum statum, ut oriantur atque intereant et speciem habeant admixtam, eam, tamquam negationem universo insitam, formam et bonum semper cupientem recipere, primam censuit dialecticae omnis, physicae, ethicae negationis causam [178]), et ita pro-

---

esse dicit, ut haberent, quod in tanta corporum mutatione permaneret, VI, 1, 28. Et omnino vix effugienda erat in his primis notionum elementis ambiguitas, cum unum in alterum transeat, dummodo alia ex parte contemplemur.

[175]) Hac argumentatione ipsum *ens*, in quo formantem materiae vim ponebant, ad *non-entia* recidit, cum corpus non esset, et magna in doctrinam de ente et non-ente irrepsit confusio; quapropter Plutarchus (de comm. not. c. 30.) exponit, quomodo illorum ex ratione ipsum universum in eorum, quae non sint, numerum sit referendum, quem locum emendavit Petersen, p. 157. — Plotinus VI, 1, 25. Deum ab iis decoris causa inductum esse, a materia causam sui trahentem, non in philosophiae centro positum monet; (ἐπεισάγεται παρὰ τῆς ὕλης ἔχων τὸ εἶναι) in quam justam reprehensionem ceciderant illi, qui non verum ens et omnem veritatem in mente et in Deo ponebant, sed, quidquid mente conciperetur, nisi corpori adhaereat, ad ea, quae non essent, rejiciendum esse opinabantur.

[176]) Cf. l. l. p. 159. Quae ibi afferuntur Simplicii verba, illos ex iis, quae non sint, ea, quae sint, deducere, (ἐκ μὴ ὄντος τὰ ὄντα παράγεσθαι) hoc doctrinam eorum de ente spectare videtur, quod ab essentia corporea, ut vim ei insitam, discernebant, et ita, cum sola mente concipiatur, vere non esse debebant dicere.

[177]) Sext. Empir. adv. math. XI, 216 — 223.

[178]) In libro *de malo* ostendit, materiam, quae in dialectica philosophiae parte nihilum sit ab omni forma vacuum, primam esse mali sedem atque originem, qua in re, etsi recte viderit, malum absolutam esse boni negationem, non, quae tum quoque vulgaris erat opinio, imbecillitas quaedam animae et imperfectus status, veras tamen mali radices in animo positas non invenit, et gravissimam ethicae quaestionem ni-

pius ad veritatem accessit, cum commune in ea errorum et malorum principium, bono oppositum, invenisset, in omnibus philosophiae partibus alia sub forma recurrens; simul tuenda erat philosophica materiae ratio contra Gnosticorum placita, qui de vivo aliquo mali principio somniarentur [179]). Recessit igitur a dialectica priorum de simplici ente et non-ente disputatione, eamque graviori de materia quaestioni inseruit; quamobrem, quid de materia et forma et utrinsque in substantia concursu statuerit, jam primo videamus [180]). Cum res sensibus perceptae infinitam ostendant varietatem et diversitatem et multis modis mutentur, nascantur, moriantur, cogitationi regrediendum esse dicit Plotinus ad ipsum infinitum, omni attributo destitutum, de quo nihil omnino possit praedicari. Ut igitur aliquid cognoscamus, (ipsum sequamur hunc locum persequentem) [181]) ad id, quod non est, recurramus, quo intellecto prima entis atque ortus initia illucescent. Non-ens qui mente vult concipere, ei relinquenda sunt omnia, quae aut in sensum cadunt aut in cogitationem, et acerrimo quodam animae obtutu attendendum ad id, quod, demto omni rerum argumento, vacuum quasi omnis cognitionis substratum remanet, et ex ipsa mente egrediendum, ut per amentiam aliquam nihili sibi fingat imaginem; ipsa vero haec mentis actio non est omnis cogitationis expers, et, cum abstrahi non possit a se anima atque ad nihilum intuendum revocari, illa omnium rerum negatio jam est affirmatio quaedam, et obscuram ponit vacui fundamenti notionem, in qua omnium rerum discrimina confundantur atque evanescant. Similiter in tenebris, etiamsi cernamus nihil, videre aliquid nobis videmur, et oculorum aciem intendentes, cum turbida nobis obversetur colorum formarumque colluvies, tenebras quasi adspicimus. Nec anima tam horridum adspectum ferre potest; illico vanitatem eorum, quae non sunt, refugit et formam aliquam iis inducit [182]). Sic non-ens, simulatque a nobis quodammodo concipitur, nudum et purum nihilum esse desinit, et statu suo relicto ad ens accedit. Nihilominus ab ente manet diver-

---

mis tractavit dialectice. Omnem autem pravitatem animique perturbationem, affectum omnem, spem metumque, gaudium et dolorem, opinionem quoque falsam et veri imagine deceptam, morbum denique et mortem, in animam tantum cadere, quatenus materiae adjuncta sit, docet in libro illo I, 8, 15.

[179]) Cum pleraeque gnosticorum sectae, antiqua sequentes mythorum symbola, materiam finxissent Deo repugnantem ab eoque relictam, in qua creator aliquis mundi, et ipse summo numini resistens, dominaretur, dualismum principiorum coeperant inducere, quem certius post illos professi sunt Manis asseclae; multo rectius Plotinus materiam cogitari tantum, non vere esse, docet, et quovis temporis momento in bonum recipi, quo omnia mala tollantur. Cf. II, 9, 6. seqq.

[180]) Copiosius disputat de materia in libris *de malo*, I, 8. *de materia*, II, 4. *de incorporeis, passionis expertibus*, III, 6, et in tertio de summis generibus, VI, 3, 2. seqq.

[181]) Non tota de materia doctrina jam hic nobis pertractanda erit, sed quatenus fundamentum est dialecticae rationis; quem locum obtineat in physica atque ethica, in universam hujus philosophiae expositionem reservandum duxi.

[182]) II, 4, 10.

sum, neque hujus aliquis aut motus aut status est habendus, cum omnem et motum et statum antecedat; extremus potius est finis, ad quem ens possit pervenire, et id, quod enti necessario est oppositum, semperque ab illo correptum et forma praeditum alteram substantiae, quae materia constat et forma, partem efficit [183]). Sed ens quoque, in mente primum habitans et in notionum varietate conspicuum, si regressum ejus in infinitum persequimur, omnibus attributis exui tandem videtur et ita esse desinit atque in non-ens transit, motuque isto se ipsum quasi deserit et ultimum fit sui. Materia igitur est ultimum simul atque initium entis, non-ens, quod perpetuo esse cupit atque incipit [184]). Quamquam vero nusquam adspicimus solam materiam, et in simplicissimis quoque rerum elementis jam compositum aliquod habemus materia et forma, dialecticae tamen cogitationi semper discernenda est utraque substantiae pars, et, ut nudam inveniamus et simplicem negationem, id, quod per se infinitum est, omni forma et modo privandum. Haec autem infinita materia non potest in vulgarem judicii formam cadere; quod si enim praedicatum admitteret, jam esset finita, et infinitum tamquam attributum sui haberet; atqui ipsa est mera *infinitas*, (ἀπειρία) nec ullam admittit notionem sibi adhaerentem; quare non dicendum: *est infinita et immensa;* aliud est infinitum et immensum esse, aliud ipsa infinitas atque immensitas ab omni essentia remota [185]). Privatio quoque est absoluta, cum omni

---

[183]) I, 8, 2. μὴ ὂν οὔτι τὸ παντελῶς μὴ ὄν, ἀλλ᾽ ἕτερον μόνον τοῦ ὄντος.

[184]) I, 8, 7. malum ultimum esse boni dicit ἐκβάσει καὶ παρ᾽ αὐτὸ ὑποστάσει, (egressu quasi animae, quae extra bonum et verum aliud aliquid ponere vult; ὑπόστασις semper est *positum subjectum*, seu altera natura, quae a priori quadam ponitur atque efficitur in eaque tota pendet) vel, si quis malit, τῇ ἀεὶ ὑποβάσει καὶ ἀποστάσει.

[185]) II, 4, 15.; αὐτὴ (ἡ ὕλη) τὸ ἄπειρον — ὅπου λόγος καὶ ὕλη, ἄλλο τὸ ἄπειρον καὶ τὸ ἀπείρῳ εἶναι, ὅπου δὲ ὕλη μόνον, ἢ ταὐτὸν λεκτέον, ἢ ὅλως, ὃ καὶ βέλτιον, οὐκ εἶναι ἐνθάδε τὸ ἀπείρῳ εἶναι. Similiter Aristoteles metaph. I, p. 39. ἀπείρῳ οὐθένι ἔστιν εἶναι, cf. phys. III, 5, ubi, quod infinitum οὐσίαν vocat, facit ex definitione sua τῆς οὐσίας, quae *substratum* quoque involveret, VI, 130. Br. infinitum autem finiti est substratum. Non possum adsentiri in dativo isto explicando *Trendelenburgio*, qui in dissertatione sua de formulis Aristotelis: τὸ τί ἦν εἶναι et τὸ ἀγαθῷ εἶναι, etc. museo Rhenano (II, 4, p. 457—83.) inserta laetam facit spem illustrandae, quae incognita jacebat, orationis Aristotelicae; censet enim, τό εὐθεῖ εἶναι idem esse, quod ὃ εὐθεῖ ἐστι, et dativum acceptive intelligendum; derivanda potius videtur formula ex constanti loquendi usu, cujus nobis initia ostendit Homericum illud: ἔστι δὲ τερπομένοισιν ἀκουέμεν, Od. ό, 393; amant enim Graeci, in sententia universali, ubi non ad certum subjectum applicatur infinitivus, dativum ei adjungere, cum accusativus definitum magis ponat subjectum, de quo praedicetur vox in infinitivo posita; sic enata est formula: τὸ εὐθεῖ εἶναι ex phrasi: ἔστιν εἶναι εὐθεῖ, (*es gibt Grades*) nulla certi subjecti habita ratione, et universam designat rei notionem (*das Gradsein.*) Cf. *Bernhardy wissensch. Synt. der gr. Spr.* p. 359. Multo lubentius iis adstipulor, quae ille ad illustrandum imperfectum in cognata formula: τί ἦν εἶναι, attulit; comprobantur enim egregie et philosophica imperfecti ratione et Graecorum usu, quem eundem cernimus in notissimis illis: ἔδει, χρῆν, etc. necessitatem indicantibus seu physicam seu ethicam, tamquam antecedens, a quo consequens appareat diversum.

fini modoque careat, et transferre in eam possumus nomen illud στερήσεως, quam Aristoteles a materia discernit; sed haec quasi negativa (ut nunc dicitur) functio est materiae, et immotam indicat atque absolutam negationem; quatenus materia est, perpetuo cupit forma repleri, quamobrem, omnium rerum egens, semper omnes in se recipit rerum divitias [186]). Et ita falsam semper et suppositam imaginem (νόθον εἴδωλον) ejus amplectimur [187]), et invenimus in ea mendacium, quod vere ne mendacium quidem est [188]). Desiderat igitur necessarium sui complementum, *formam*; ens enim, simulatque evolvi coepit in singulas res et ad non-ens sive materiam accedere, primum aliunde videtur in eam demersum eique insitum, progredientes autem in opere dialectico nec formam sine materia neque hanc sine illa esse posse intelligimus, et utramque per se consideratam nihil esse, nisi una ad alteram referatur et in unam substantiam coeant [189]). Quamobrem, frustra aliquid dicere tentantes de materia formae nondum participe, quaecunque ei attribuimus, via negationis invenimus, qua in re purior ab illo sistitur, quam in priori philosophia, absolutae negationis notio. Neque enim quantitatem habet, seu magnitudinem, quae sine illa non potest cogitari [190]), cum haec necessaria sit formae pars; nec infinitam seu magnitudinem seu parvitatem de ea praedicamus, quae nondum ei inesse possunt notiones; nec moles habenda est confusa et ubique dispersa, quam veteres sibi fingebant *chaus* imaginem, cum quaevis moles corporea contineat elementa, corpus autem vel minutissimum jam materia formaque compositum sit [191]); falso igitur Stoici *corpus* dixerunt rerum omnium substratum [192]); nec cum Stoicis in materia aliquam quaeramus *qualitatem*, quae non

---

186) III, 6, 14. comparat eam cum paupertate, copiam semper appetente, et utramque aeterna amoris vi semper conciliari dicit, pulcerrimum Platonis in symposio mythum respiciens, quem amplius illustrat in libro *de amore*, III, 5.

187) Λογισμῷ νόθῳ inveniri eam vult II, 4, 12., Platonis repetens verba, Tim. p. 52., qui p. 49. id, in quo omnia fiant, χαλεπὸν καὶ ἀμυδρὸν εἶδος vocat.

188) III, 6, 15. ἔχει οὐδὲν τῶν ὄντων, οὔτε ἀληθὲς οὔτε αὖ οἰκεῖον ψεῦδος.

189) VI, 3, 3.

190) Expertem esse quantitatis monet, cum ipsa quantitas notione demum materiam formante efficiatur, II, 4, 8 — 12. Deum in artificum humanorum sortem deprimi dicit, si materia jam magnitudine aliqua et figura fingatur, unde singulas res componat Deus. Ibidem c. 12. corporum formas *in magnitudine* esse docet, non *circa magnitudinem*, sed *circa materiam*, ne cum numero, quem Pythagorei rebus omnibus subesse putarent, infinita materia confundatur. VI, 6, 16. magnitudo dicitur numquam sine forma et utraque in composito tantum posse cogitari, ne quis quantitatem aliquam esse putet a qualitate avulsam; materiam potius, cum magna videatur fieri, insitam menti magnitudinis notionem imitatione quadam assequi vult, et ita *extensionem* (ἔκτασιν) in ea gigni, quae nulla sit in vera magnitudine. (Hanc ob rem παράτασιν dicit.)

191) Τὴν σωματότητα formatae materiae esse attributum saepe monet, ut I, 8, 4. II, 4, 12.

192) II, 4, 11. *molem* (ὄγκον) quodammodo dici eam posse asserit, dummodo omnem vel minutissimi corpo-

potest esse nisi in substantia, neque illa omnino est *aliquid* [193]); neque agit aliquid, cum nullam in se vitam habeat atque efficaciam, nec patitur, cum id tantum pati dicatur, quod mutatur et mutatione in diversum transit statum; quidquid enim vim aliquam patitur, aliqua sui parte mutari censendum est; materia autem, quae, nullam involvens qualitatis notionem, nullum tenet certum firmumque statum, mutari non potest; mutatur enim nihil, nisi quod, qualitate praeditum, vi aliqua sive externa sive interna impulsum excedit qualitate sua et aliam recipit, quod in substantiam tantum sensibilem potest competere; materia igitur, ut mens et anima, passionis omnis et mutationis expers manet, etiamsi omnia *in* ea, vel rectius *circa* eam, moventur et mutentur, neque umquam, cum semper formetur, naturae suae paupertatem abjiciet; cupiens semper numquam satiatur. [194]) Sic maxima cum constantia materiam suam cogitatione ab omni forma, qualitate, quantitate arcet Plotinus, et, quamvis minuta atque individua rerum elementa ponamus cum physicis atque atomorum auctoribus, simplicissima quaeque aut oculis aut cogitationi videntur jam esse composita, nec intellectus acquiescit nisi in perfecta et absoluta negatione, numquam conspicua nec a rebus separanda, omnibus insita, neque composita neque simplice; nam ipsa simplicitatis notio jam pertinet ad magnitudinis formaeque notiones. Neque haec materia *locus* est [195]), qui, cum ponendis semper singularum rerum finibus efficiatur, jam initium est et adumbratio quaedam formae; neque est *in loco*, qui formatam tantum materiam continet; nec temporis notio in materia ponenda est, cum motum, temporis rationem, non admittat. Ut uno

---

ris notionem excludamus. Similiter Parmenides Platonicus, nisi unum esset, reliqua in infinitam resolvi multitudinem et turbidam quasi molem exsistere dixerat, in qua omnia omnibus sint aliena, neque certum aliquod cogitatione posse comprehendi, cum unumquodque moles sit, non cogitans de corporea mole, Parm. p. 164.

[193]) II, 4, 13. ὕλην ἄποιον esse evincit. Stoici, etsi materiae et qualitatis idem fere discrimen ponebant, quod essentiae atque entis, ut hoc illius movens sit vis et ratio, *Petersen* p. 72, non satis effugiebant Plotini opprobrium, incerta fuisse eorum de materia placita, nec satis eos *substratum*, quam primam ponerent categoriam omnibusque reliquis subesse vellent, a corpore jam composito sejunxisse neque ad puram materiam revocasse, VI, 1, 27, unde corpora rerum omnium fundamenta falso posuerint, c. 28.

[194]) Quae priorum fuit sententia, materiam id esse, quod semper patiatur, eam rejicit Plotinus, et actionem passionemque ex motu demum oriri docet nec in materiam seu non-ens competere, nec motum umquam nec mutatum; VI, 2, 3. seqq. aliud igitur motus statuit genus, actum et passionem involvens, quam substantiae, cujus pars sit materia. Quidquid patiatur aliquid, jam certam habere in se formam et qualitatem, quam alia possit permutare, demonstrat III, 6, 7. seqq. Quamquam perpetua sua negatione, simulac forma repletur, moveri videtur et pati; ibid. c. 15. ἑλκόμενον εἰς πάντα, καὶ ἀκολουθοῦν ὡς δόξαι, καὶ αὖ οὐκ ἀκολουθοῦν; sic Plato (Tim. p. 50.) semper eam agitari et mutari dixerat, et alia rursus moveri ab ea.

[195]) Cum Plato χώραν dixerit materiam, Plotinus bene eam a loco discernit, quem et illa et corpore posteriorem esse monet II, 4, 12. neque enim est corporis elementum aliquod, sed extremus finis, quem a corporibus separare conatur cogitatio.

verbo absolvam, abstrahenda est ab omnibus, quas invenit intellectus, notionum categoriis cogitatio, quo ad caliginosum materiae locum penetret. Pura quoque est *diversitas*, (ἑτερότης) cum omnia, quae ejus partem habent, distracta appareant et dispersa et unum ab alio diversum; neque vero ipsa est diversitatis ratio, quam in mente quaeras, nec in se habet discrimina, quae forma tantum superveniente in ea ponuntur, sed est apparens in rebus diversitas, cum, quidquid aliud dicimus, hoc praedicatum negatione quadam nactum sit; negatur enim hoc eorum aliquid esse, quae extra illud posita sunt; principium autem negationis hujus, singulis rebus immanentis, in ipso non - ente seu in materia quaerendum est. Rectius igitur *alia* (τὰ ἄλλα) dicimus, quam *aliud*, (τὸ ἄλλο) quod jam rem aliquam certam videri possit significare [196]), et habemus in ea infinitum illud, quod, tamquam aliud, uni principio opponitur in Parmenide Platonico, nec cum illo potest conciliari. [197]) Jam ad *formam* attendentes, hanc quoque invenimus, cum materiae conjuncta sit, mortalitati et mutationi obnoxiam, quamvis majorem habeat essentiae partem [198]); nec cum Stoicis ipsa, quae in infimo entium gradu posita est, ὄν vocanda. [199]) Quamobrem, quidquid materiae est concretum, *videtur* tantum esse, neo vere est, sed veritatis imago quaedam; cum vero mens omnia contineat, veritas simul omni rerum universitati inest, et singulae tantum res, variae semper et mutabiles, vanam ostendunt et evanescentem speciem, cum ad generum suorum exemplaria in mente posita efformatae sint. [200]) Nam in rebus externis forma aliunde videtur cum materia esse communicata, nec vita ejus esse atque efficacia; vita ex

---

[196]) II, 4, 13.; bene sensit, neutrum in plurali forma incertum magis et indefinitum significare.

[197]) Per totam disputationem Parmenidem facit Plato *alia* (τὰ ἄλλα) tamquam infinita uni suo opponentem, et demonstrantem, illa quodammodo unius fieri partem eoque contineri, simul autem discreta manere ab uno et, si alia ex parte contemplemur, in uno plane evanescere.

[198]) VI, 3, 3. formam materiae adjunctam nondum substantiam esse, sed alteram ejus partem, nec totam complecti *essentialem* ideam in mente positam, sed *notionem* tantum esse *essentialem*, (οὐσιώδη λόγον, i. e. notionem, quae, quamquam partem habeat veritatis, in singulis rebus appareat et ita perpetuo videatur mutari) asserit; sic Aristoteles (metaph. VI, p. 159. Br.) notionum, quatenus materiam involvant et *tali aliquo modo* (οὕτως) definita sint, ortum esse atque interitum concedit, puram notionem nasci posse et interire negat; quamobrem notiones aeternae simul et mortales dici possint. (ἄνευ γενέσεως καὶ φθορᾶς εἰσι καὶ οὐκ εἰσί.)

[199]) Cf. not. 175. Non satis discernebant Stoici varios essentiae gradus, nec cogitationem ab imbecillis veritatis formis ad Deum reduxerunt, quamobrem pantheismi crimen non immerito in se traxerunt.

[200]) Jam Plato, τὸ ὄν, quod vera contineat rerum exempla, et τὸ γιγνόμενον, quod veri imitatione exoriatur, discernens, hujusque sedem in materia statuens, dixerat, quidquid aut in materiam intret aut exeat inde, imitationes esse eorum, quae vere sint; Tim. p. 50. Luculentius hoc exponit Plotinus III, 6, 12. seqq.

ipsa mente cognoscitur, nondum autem apparet in primis illis contemplationis initiis, quae entis et non-entis diversitatem ostendunt et communionem [201]); nec materia mundi sensibilis status dicendus est, forma motus; etiamsi enim materia stare videatur, forma moveri, simul, si alia ex parte consideramus, formam stare intelligimus, cum fines ponat materiae, materiam moveri, cum diffluat semper et novas recipiat formas; sic mota videntur stare, stantia moveri. Vere autem de motus et status discrimine nondum cogitandum est in hac externa materiae formaeque conjunctione, sed utraque notio exoritur nobis mentem contemplantibus vitam ex sese dimittentem immotamque simul manentem.[202]) Neque in hoc cognitionis gradu *identitas* (quae vocatur) et *differentia* mentis potest cognosci, sed, cum omnia disjuncta sint et unum ab aliis omnibus videatur esse alienum, similitudo tantum et dissimilitudo in mundo visibili regnant, et aliae res aliarum partem tantum videntur habere.[203]) Hic verus est Platonicae μεταλήψεως locus, in mentem non transferendae. Ut autem in toto mundo sensibus obvio *potentiae* apparet et *efficaciae* discrimen, et illa, mortua quasi et iners in rebus habitans, externo quodam impulsu ad efficaciam provocari videtur, sic materiam, quae omnem formam aliunde sibi exspectat, absolutam dicere possumus *potentiam*, (seu, ut nunc dicitur, *possibilitatem*) quae formae ope ad *efficaciam* perducatur; sed non in mente tale statuendum est discrimen; vere enim omnis mentis actus potentia simul est et efficacia, nec, uti res mortales, primum in illa est, deinde in hac.[204]) Quare nec materia nec forma genera rerum ponenda sunt [205]), cum utraque infima tantum substantiae initia sint atque elementa. Haec rerum terrestrium *substantia*, (οὐσία) quae ex illis conjunctis (τὸ συναμφότερον, τὸ σύνολον, cf. Arist. met. X, p. 216. exsistit Br.) rectius dicitur γένεσις, quae vox melius indicat mobilitatem ejus et inconstantiam [206]), et hanc, non superiorem illam in mente positam, Aristoteles primam statuerat rerum esse categoriam.

---

[201]) VI, 3, 2.

[202]) Ibid. coll. VI, 2, 7. seqq. Hoc quoque contra Stoicos videtur monere, qui *essentiam* ab *ente* moveri dicerent.

[203]) Τὴν ταυτότητα καὶ ἑτερότητα in mente demum cognosci, amplius exponit VI, 2, 7. seqq. In quantitate locum esse *aequalitati*, in qualitate *similitudini*.

[204]) II, 5, 3 — 4.

[205]) VI, 3, 2. *Genera* enim ex aggregatis specierum notionibus enasci et in species dividi monet VI, 2, 2, quare neque infimas materiae formaeque notiones omni argumento destitutas, neque summas, omnia in se recipientes, *ens* et *unum*, genera dicit.

[206]) Οὐδὲ ὅλως οὐσίαν, διὰ τὸ ἐφαρμόττειν τὴν ἔννοιαν ῥεόντων, ἀλλὰ γένεσιν οἰκείως λέγεσθαι. Idem dixerat Plato in Timaeo p. 50, τὸ γιγνόμενον discernens ab aeterno eorum, quae fiant, exemplari.

Jam ex praemissis patebit, quam *ortus* rationem statuerit Plotinus, ut spinosam quaestionem solveret, quomodo ex iis, quae non sint, fieri aliquid possit; dixit enim, omnia quidem, quae fiant, semper ex materia fieri, i. e. ex talibus, quae antea non fuerint, ipsum autem hoc *fieri* in tempus, mortalitatis legem, cadere, et aeternam sui rationem in mente habere. Diu hoc problema agitaverat animos, priusquam philosophia mentem invenisset veritatis sedem, et fundamentalem hanc quaestionem dicere possumus antiquioris omnis usque ad Platonem philosophiae. Physici enim, cum rerum ex nihilo ortum non possent cogitatione amplecti, sempiternam posuerant materiam, unde aut *mixtura* aut *compositione* omnia dicerent oriri [207]), eamque aut in uno pluribusve elementis collocaverant, aut ipsam, quae erat Anaximandri ratio, elementorum quasi semina continere putaverant; neque Anaxagoras, quomodo materia mente dometur et absorbeatur, ostendere potuit, nec Heraclitus, qui, ut aeternam duorum principiorum pugnam effugeret, *motum* invenerat, rerum omnium rationem ac veritatem, intellexit, unde haec omnia et cur moverentur. Altius evolaverant Pythagorei, ex unitate numeros omnes eorumque ad imaginem ipsas res fieri docentes, neque vero supra unius et multi discrimen, semper positum simul et sublatum, ascendebant. Parmenides denique, uti nihil non esse statuerat, ita eos, qui ex nihilo res fieri putarent, insaniae arguit, cum unum fuerit aeternam et ante omnia, [208]) et, cum physici omnia ad motum et ortum retulissent, ipse, contra sensuum et ipsius cogitationis judicium, omnem ortum sustulit, quare Zenoni omne dialecticae acumen ponendum erat in negando motu. Jam Plato in Parmenide coepit vinculum invenire, quo opposita principia conciliarentur, subitum istum, efficacem, perpetuum nulloque temporis momento definiendum transitum rerum ab eo, quod non fuerint, ad id, quod sint, quem ortum vocamus atque interitum, eumque motum non semel esse factum, sed unum continua serie semper ex alio fieri, ut perpetua entis et non-entis, formae et materiae exsistat vicissitudo. [209]) Sic Eleatas cum Heraclito conciliavit, sed ut internam intelligeret necessitatem, qua impulsae res aut incipiant esse aut desinant, ens aeternum dialectica sua invenit in Sophista, quod in se ipsum idem sit et diversum et una notione statum motumque comprehendat, ut, quidquid fiat, videatur tantum esse et in illud semper redeat; hanc stabilem rerum rationem in mente esse quaerendam, et in se conjunctas tenere boni, veri,

---

[207]) Empedoclea erat κρᾶσις, Anaxagorea σύγκρισις καὶ διάκρισις, quibus inferiorem in rebus corporeis locum adsignat Plotinus et hanc ab illa recte discernit III, 3, 25. Illam *chemicam*, hanc *mechanicam* corporum mutationem physici nostri dicerent.

[208]) *Brandis comm. El.* p. III. οὔτ' ἐκ μὴ ἐόντος ἐάσω φάσθαι σ' οὐδὲ νοεῖν, κ. τ. λ.

[209]) Parm. 156 57. cf. *Schleiermacheri* introd. ad dial. p. 95. Sic Plato motum Heracliti loco suo retinet, sed certis finibus adstringit.

pulcri ideas, a summo bono pendentes, in Philebo et in libris de republica exposuit, et in Timaeo, quod ibi praeparaverat, absolvit, ut sensibilem mundum tamquam imaginem opponeret intelligibili tamquam exemplari, et in illo omnia ex materia perpetuo fieri, hanc veritatem rerum in aeternum servare doceret. Hanc sententiam ita excoluit Aristoteles, ut singula quaeque in fine suo intus movente et latentem notionem ad efficaciam provocante rationem sui habere ostenderet, et, quas concepisset mens immotas et aeternas rerum ideas, a singulis ad universa genera adscendens, eas singulis rebus vere inesse [210]); quaecunque igitur fiant, ea finem suum aeternum, in quo vere subsistant, secum gerere supra mutationem elatum docuit. Optimam vero de materia formulam proposuit, nasci eam quodammodo et interire, potentia autem sua non esse natam atque immortalem; necessario enim semper esse aliquid aliis substratum, et ita futuram eam esse semper, priusquam nata sit, interiisse, priusquam interierit [211]); ad quam expositionem proxime accessit Diodori Megarici dictum, quo veram motus notionem Eleatis opponeret, omnia mota esse, non certo quodam tempore moveri [212]). Sic Aristoteles materiam invenerat non aeternam, sed sempiternam perpetuoque ortum et interitum admittentem, et haec est infinita ista series, in qua Parmenides Platonicus substiterat [213]). Plotinus recurrit ad Platonis doctrinam de intelligibili mundo, in sensibili rerum serie apparente, cum eaque conjungere studuit Aristotelicum dogma de motu atque efficacia finali, a mente in singulas res transeunte; sed altius utroque arcana mentis Dei sibi consciae perspexit, et in ipsa mente, quod nemo ante eum fecit, cum alii suppositam potius recepissent materiam, omnis diversitatis et ortus atque interitus rationes indagavit, ut nihil remaneret in mundo mente non correptum. Recepit igitur dogma illud, a multis, cum cogitationis fines superare videretur, repudiatum, *ex iis, quae non sint, fieri, quae sint*, et magnitudinem dixit ex materia exsistere, quae non ipsa sit magnitudo, substantiam ex materia et forma effici, et qualitates in se recipere, quae omnes, per se consideratae, non sint substantiae; (cf. n. 99.) simul autem eos quoque recte dicere, qui ex *nihilo nihil fieri* statuant, cum omnium rerum notiones ex mente redundent, quae non, ut Stoici opinabantur, non-ens sit, sed verissimum et purissimum ens et omnis veritatis complexus; nec in rebus singulis vere esse ortum et interitum, sed mutationem tantum, cum

---

210) *Trendelenburgius* in libro: *Platonis de ideis et numeris doctrina ex Aristotele illustrata*, Lips. 1826. revincere coepit vulgatam opinionem, Platonicam de ideis doctrinam ab Aristotele male fuisse intellectam, et constantem ostendere philosophicae rationis in Aristotele progressum.

211) Phys. I, 9. ἔσται πρὶν γενέσθαι — ἐφθαρμένη ἐστὶ πρὶν φθαρῆναι.

212) Cf. Sext. adv. phys. II, 85. *Deycks de Megaricorum doctrina*, p. 64.

213) Quare unum, ex se progressum, sese ipso et aliis senius simul et junius et fieri et semper esse dicit 140 — 42.

omnia, quatenus cogitatio sequi possit, nec materia sint, (pereunt enim) nec forma, (sunt enim in mole et magnitudine) sed ex utraque composita, ideoque, cum vere nihil non sit, ex nihilo nihil posse enasci, nihil in illud redire [214]); et, uti semen in herba, quam ex eo eliciat naturalis animae vis, non disperdatur, sic unum manere rerum substratum, non quantitate, sed per se, infinitum [215]). Veram autem materiae notionem in mente dicit esse exquirendam, et intelligibilem aliquam materiam (ὕλην νοητήν) opponere videtur huic primae, (τῇ πρώτῃ ὕλῃ) ut haec mortua sit et corporis enecati sed vitae specie ornati similis, illa viva et efficax [216]). Quem vero huic sublimiori materiae locum adsignaverit, ipse explicat, ubi animam quodammodo mentis materiam vocari posse dicit [217]), ejusque ortum ex intima mentis natura et cum Deo nexu aeterno derivat; quapropter locus ille non hic, ubi de corporea materia egimus, tractandus est, sed ad sequentem expositionem rejiciendus. Hoc unum afferam, mentem Deum intuentem seque sibi tamquam objectum sui opponentem primam esse secundum Plotinum intelligibilis materiae seu animae originem, unde per omnia diffundatur et hanc corporum materiam, ut distractam sui imaginem, gignat, et illam dici vere esse infinitam, et factam simul esse, cum initium sui semper in mente capiat, et non factam, cum semper fiat, nec, quando facta sit, dicere aliquis possit [218]). Opponens igitur corpoream materiam sublimiori, noluit (quod semper teneamus) mentem a rebus mundanis avellere, sed, falsa specie omnia in hoc mundo repleta esse confessus, ipsam speciem ad veritatem reducere voluit in eaque evanescentem ostendere, ut ubique mens regnet et quamlibet speciem agnoscat statim et tollat. Et sic omnino hanc mortalem vitam speciem dicit et mendacium, sed ipsam vitam jam supra corpoream materiam, per inferiores naturae ordines dispersam, incipere attolli et humanam rationem supra motum rerum et fluxum innato mentis amore ad perfectam libertatem adsurgere, in qua errorem omnem rebus admixtum et

---

[214]) II, 4, 6. οὐ παντελὴς τοῦ μεταβάλλοντος ἡ φθορὰ, οὐδ' αὖ τὸ γενόμενον ἐκ τοῦ παντελῶς μὴ ὄντος εἰς τὸ ὂν ἐλήλυθεν.

[215]) II, 4, 16.

[216]) II, 4, 3 — 5.

[217]) V, 9, 3. ipsam animam in se continere quodammodo materiam et formam dicit, ut illa sit forma cum corpore communicata, haec mentis vis formam procreantis, et in anima habitantis; (ὁ νοῦς ὁ ἐν αὐτῇ) mentem quoque discernit duplicem, cum partim animae insita forma ejus sit κατὰ τὴν μορφήν, (recipit Aristotelicum usum, cf. not. 169.) partim prius forma omniumque notionum primus sit auctor. (χορηγὸς τῶν λόγων) — VI, 3, 2. materiam intellectualem ipsum *ens* esse dicit, cujus forma sit *motus*; vult igitur idem fere esse in mente materiam, quod in philosophia recentiori *objectum* dicitur, formam, quod *subjectum*, quae in mente diversa non esse jam Plotinus recte intellexit.

[218]) II, 4, 5. materiam intellectualem, uti ipsas *ideas*, dicit esse aeternam; γεννητὰ μὲν γάρ, (ἡ νοητὴ ὕλη καὶ αἱ ἰδέαι) τῷ ἄρχειν, ἀγέννητα δὲ, ὅτι μὴ χρόνον τὴν ἀρχὴν ἔχει.

falsam veri imaginem in mundo dominantem abjecerit. Hic verum ab ea ens inveniri docet, et, uti substantiam, ita ipsum ens duplici sensu dici, ut primum sit, quidquid extra mentem positum sensu percipiatur et mutationi obnoxium sit, deinde id, quod idem maneat in rerum fuga ac vicissitudine, mens omnes rerum notiones (λόγους) in anima continens et procreans, quae tota simul sit potentia atque efficacia. In sequentibus videbimus, quomodo stabile hoc ens substantiae insit, quae qualitati suae quantitatique tamquam accidentalibus notionibus opponitur, et has quoque in se tamquam necessarias recipit, et plenam *substantiae* inveniemus et primae et intelligibilis rationem, ut entis ex Deo originem cognoscamus. Jam, cum praescripti huic scriptioni fines cursum sistere jubeant, ne in vanum in capitis hujus fronte titulos de uno et numero, de toto et partibus, de finito atque infinito apposuerim, extrema tantum addam horum locorum lineamenta, quorum ampliorem expositionem et cum prioribus philosophematis comparationem ad sequentem remittendam duxi fasciculum. Materia, cum ubique forma inveniatur correpta, cum ea in *substantiam* coaluit, quae jam in se finem habet et has sui partes libere continet; sic nobis exoritur cogitatio unius entis in omnem formarum varietatem sese explicantis et, cum ubique servetur, communi omnes vinculo conciliantis; jam vero, cum infinita materia seu inhaerens rebus negatio omnia distineat et continuam nobis ostendat mutationum seriem, ut idem statim aliud fiat a se diversum et omnia videantur in infinitum excurrere, simul vero rectior coeperit emergere infinitatis notio, cum unum in omnibus, aliud quasi sui factum, semper recurrat, a prima entis et non-entis repugnantia ad alteram pervenimus *unius* et *multorum*, cui proxime adhaerent oppositae *finiti* atque *infiniti* notiones. Copiosius de hac re infra disputaturus ostendere conabor, quomodo ingenium humanum in Graecorum philosophia ad has notionum definitiones necessario progressu pervenerit, et a physica contemplatione (quae supra prima dialecticae elementa non adscendit et infinitum cum uno confundens uni materiae virium quasi dualismum, ut vitae formaeque initium, opposuerit, cf. Arist. metaph. I, 20.) ad *numerum* exsurrexerit, qui, a Pythagoreis in summo philosophiae locus positus, ipsam illam repugnantiam unius et multorum una quasi notionis vi continet, et semper natura sua in infinitam multitudinem repulsus semper sibi fines injicit, ut *finitum infinitum* dici possit. Plato ad mentem regressus numeris medium adsignavit cognitionis locum, ut essent externae rerum formae mente conceptae, et veram numerorum sedem in *ideis* posuit, quibus infinitum, modo *magnum* modo *parvum*, numero spatioque apparens, opposuit, et *dissociabiles* numeros seu ideales segregavit a mathematicis seu monadicis et *consociabilibus*; (cf. *Trendelenburg* de ideis et numeris Pl. p. 74. seqq.) perfectius hanc sententiam excoluit Aristoteles et repugnantiam mathematico numero insitam notionisque hujus paupertatem atque exilitatem egregie explicavit (metaph. XII.). Plotinus tandem, cum sceptici omnem negavissent numerum, (Sext. Empir. adv. phys. II, 248. seqq.) altissime naturam hujus loci exhausit, monadicum numerum intellectuali Platonem secutus

opponens et utrumque persequens. Unum enim, quod jam Parmenides docuerat Platonicus, (p. 143. 144.) omnes in se continere numeros dixit, et, si per se ponatur, numerum in se corruere; hunc enim infinitum per se esse et simul finitum, (quod uberius et sagacius prioribus explicat in libro *de numeris* VI, 6) semper a se diffugere et semper finium quasi retibus capi et cohiberi; id esse, quod omnem fugiens finem perpetuo appareat finitum, et limites, simulac positi sint, transgrediatur, neque *unum*, quod jam omnes involvat numeros, huic repugnantiae esse exemtum; vere autem evanescere numeri infinitatem et ad inferiorem relabi cognitionis gradum, cum unum multa esse necessario mentis actu agnoscatur et bonum, quo omnia contineantur, mente superius hanc ipsam, ut veram varietatis sedem, ex se gignat; neque mentem et notionem recte dici *finitam*, cum infinitum tantum possit finiri, sed ipsam summum esse sui omniumque rerum finem et modulum. Quare *monadi*, ut falsae sibique repugnanti unitati, numerorum principio, *veram* unitatem (*τὴν ἑνάδα*) opponit, i. e. numero in rebus conspicuo ab earumque adspectu avocato numerum in notione positum, supra finiti infinitique cogitationem elatum, (ut decas rationem sui habet *ἐν τῇ αὐτοδεκάδι*) vita repletum, cum omnia in mente vivant; at, cum mens omnia transeat, apparens quoque numerus non est a notione mentis avulsus, sed imaginem possumus dicere summi unius, quod et ipsum necessaria sua vi multitudinem procreat. Numeros contra Sexti rationes negat *accessione* quadam (*συνόδῳ*) oriri, sed ex uno ipsa notionis vi affirmat prodire, et, perlustrata simplici numeri notione, ex qua merum sit *quantum*, (*ἀριθμὸς ποσώδης*) elicit ex hac sublimiorem numeri *essentialis*, (*ἀρ. οὐσιώδης*) et sic dialectica ratione a numeris quoque ad Deum ejusque triadem adscendit, quamobrem Pythagoreorum lucra sua vere fecit et aptissime disposuit. Jam falsae isti infinitati, ab antiquis usque ad Aristotelem (met. X, p. 232. seqq.) traditae, quae principio et fine carens non posset transiri (*ἀδιέξοδος*) et perfectus esset unius discessus, (*ἡ παντελὴς ἀπόστασις* VI, 6, 1) veram opposuit, quae esset constans unius in omnibus aequalitas (IV, 4, 5) et in mentem recepta fieret aeternitas. Hoc invento discrimine aliud indagavit *totius* et *universi*, (cf. Arist. metaph. IV, 116, qui ad res sensibus perceptas utramque adhibet) quod quemadmodum doceat in mente nullum esse, et *totius* et *partium* notiones in se concidere, nisi ad mentem surgat contemplatio, infra exponetur (cf. n. 139.).

Primum hoc, quamvis imperfectum, curarum Plotinianarum specimen praemisi, quo ex muneris publici ratione instantibus scholae nostrae natalitiis praeluderem. Quodsi periti et benevoli harum literarum existimatores judicabunt, me non turpiter ausis excidisse, propediem alterum et tertium harum quaestionum adjiciam fasciculum, in illo novam locorum dialecticorum seriem percursurus et disputaturus de *loco* et *tempore*, de *quantitate* et *qualitate*, de *potentia* et *efficacia*, de *motu* et *statu*, de *relatione* et *nexu causali*, in hoc selecta lexilogiae Plotinianae capita pertractaturus. His jactis fundamentis ad ipsum exponendae philosophiae Alexandrinae opus aggrediar, in tria volumina ita distribuendum, ut in prima

parte Plotini, in secundo Porphyrii, Jamblichi, Procli, Damascii, aliorum[illegible] philosophiam explicem, in tertio, si Deus vitam viresque suppeditaverit, cognata Philonis Judaei et philosophiae christianae, quae Alexandriae floruit, studia exponam.

Jam hoc unum superest, ut Calendarum Novembrium, quem natalem suum diem pio majorum more schola concelebrat, solemnia indicem et caeremonias. Hora ejus diei VIII. matutina festa pompa praeceptores cum alumnis templum adibunt, Deo Optimo Maximo debitas scholae ab omni periculorum genere servatae grates persoluturi ejusque in posterum clementiam imploraturi. Sequentur hora IX. recitationes et orationes, quas in auditorio majori discipuli ex omnibus classibus electi habebunt, ita, ut primum discipuli quidam trium inferiorum classium aliena recitent carmina, quos excipient ex classe secunda superiori *Ferdinandus Steinkopff Bernburgensis* et *Julius Wiggers Rostochiensis*, sua pronuntiaturi poëmata patrio sermone composita, et ex classe eadem *Ernestus Poerner Obertavensis* latina oratione dicturus *de loco Portensi a monumentis longinquae vetustatis circumcirca conspicuis commendando.* Post illos ex classe prima *Oscar Heffter Jutrebocensis* vernacula oratione hunc locum tractabit: *wodurch ward es unsern alten Dichtern möglich, die Meinung des Volkes zu beherrschen?* deinde *Robertus Regel Torgaviensis* latinis versibus canet *raptum principum Saxonicorum;* denique *Bruno Echtermeyer Liebenwerdensis* latina oratione dicet *de calamitatibus et aerumnis, quae belli triginta annorum tempore Augustanae formulae asseclis erant perferendae, ut appareat, quae nostrae aetatis, qua plena omnes in sacrorum usu libertate gaudent, sit felicitas.* His rite peractis Rector scholae discipulos quosdam, qui frugifero studio morumque integritate eximii visi sunt praeceptoribus, nominatim evocatos publice praemiis ornabit, et solemni precatione finem imponet festae laetitiae, quam ut frequenti sua praesentia augere velint illustres scholae curatores et omnes, qui Portae favent, ea, qua par est, observantia rogamus.

Scribebam Portae d. XXIX. Octobr. MDCCCXXIX.

## Errata.

Pag. 2. lin. 25. pro *poeticam formam* leg. *poeticam fere orationem,* ne ligatam orationem Ephesio invito obtrudere videar.
Pag. 11. lin. 19. pro *speciem quidem* leg. *ne speciem quidem.*
Pag. 15. lin. 23. pro ἀλλᾳ leg. ἀλλά.
Pag. 17. lin. 13. pro *confluxu* leg. *concursu.*
Pag. 24. lin, 4. pro *agnito — accepto* leg. *agnita — accepta.*
Pag. 29. lin. 1. pro *demissae* leg. *defixae.*
Pag. 35. lin. 1. pro *procreentur* leg. *procreantur.*
Pag. 39. lin. 11. et 12. pro *conciliata — dissociata — dispersa* leg. *conciliatae — dissociatae — dispersae.*
Pag. 40. lin. 21. pro *aut* leg. *an.*